

SECTIO II

DE ORDINIBUS CONFERENDIS

PROLEGOMENA

Caput I

DE MINISTRO ORDINATIONUM

- 67** 1. Minister ordinarius omnium ordinum est episcopus consecratus. CIC 951.
2. Minister extraordinarius pro tonsura et ordinibus minoribus est:
- A) SRE cardinalis, ubique terrarum, dummodo promovendus habeat dimissorias proprii ordinarii litteras. CIC 240 § 1, n. 22.
- B) Abbas vel praelatus nullius, vicarius et praefectus apostolicus, sed in proprio territorio et durante munere, tum propriis subditis, tum aliis qui litteras dimissorias exhibent. Nequeunt tamen ordinare proprios subditos extra proprium territorium, nam ordinatio esset invalida. CIC 957 § 2.
- C) Abbas de regimine rite benedictus, pro suis subditis tantum, qui saltem professionem simplicem seu ad triennium emiserint. CIC 964, n. 1.
3. Vicarii capitulares, quibus aequiparantur a iure apostolici administratores, nequeunt tonsuram et ordines minores conferre, nisi habeant apostolicum indultum, quod petentibus nonnunquam conceditur. CIC 951.
4. Promotio ordinati a Summo Pontifice, ipsi reservatur. CIC 952. Iuxta antiquum privilegium, a Benedicto XIV confirmatum in bulla *Ad honorandam* § 6, competit cardinali archipresbytero Basilicae Vaticanae ordinatio, per se vel per alium, cleri Basilicae.
5. Minister celebrationis missae et ordinationis unus esto, nec infirmitas vel necessitas aliud expostulare potest. CIC 1003; DD 1071; 1150; 2772.
6. Quoad liceitatem ordinationum quae fiunt a ministro ordinario, seu quoad *titulum competentiae* in ordinandos, requiritur ut sit episcopus proprius ordinandorum, vel ut ordinandi habeant litteras dimissorias proprii ordinarii. Quisnam sit episcopus proprius et quomodo dandae sint litterae dimissoriae extraneis episcopis vide apud canonistas: ante codicem praesertim: Many, *de ordinatione*, p. 83, § 3; Gasparri, *de ordinatione*, vol. 2^o, p. 69, § 3; post codicem: Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, tom. IV, 1; Cappello, *De sacra ordinatione*, p. 292; A Coronata, *de sacramentis*, vol. II de ordinatione, p. 25 ss.

Caput II

DE SUBIECTO ORDINATIONUM

68 Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus. CIC 968.

Ut quis licite ordinari possit, a iure requiruntur:

1. Legitima filiatio. CIC 984, n. 1.
2. Physica integritas corporis et mentis. CIC 984, n. 2 et 3.
3. Non sit irregularis ex alio defectu vel ex delicto. CIC 984 et 985.
4. Aetas canonica. CIC 974 § 1, n. 3.
5. Sacra confirmatio. CIC 974 § 1, n. 1.
6. Mores ordini recipiendo congruentes. CIC 974 § 1, n. 2.
7. Debita scientia, de qua fiunt pericula. CIC 996 § 6.
8. Libera voluntas, iureiurando firmanda, recipiendi ordines, non enim possunt cogi clerici ad illos recipiendos. CIC 793, § 2.
9. Ordinum inferiorum susceptio. CIC 974 § 1, n. 5.
10. Interstitiorum observatio. CIC 974 § 1, n. 6.
11. Titulus canonicus sustentationis pro ordinibus maioribus. CIC 974, § 1, n. 7.
12. Propositum ascendendi ad presbyteratum. CIC 973, § 1.
13. Necessitas Ecclesiae, vel saltem utilitas. CIC 969. "Nullus debeat ordinari qui... non sit utilis aut necessarius" (Conc. Trid. sess. XXIII, cap. XVI), ne sacramentum in detrimentum vertatur animarum.
14. Vocatio ab episcopo, pro qua fieri debent scrutationes iuxta canones 998, 999, 1000, et instructionem S. C. de Sacramentis diei 27 Decembris 1930. AAS 1931, p. 120 ss.

Instructio haec ad religiosos sodales extensa fuit, cum quibusdam tamen modificationibus. AAS 1932, p. 74 ss. Utramque invenies apud Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, IV, 1, allegata II et III, et apud alios canonistas, et eorum studium sedulo commendatur illis qui debent clericos praesentare vel ordinare. Authenticum commentarium instructionum edidit Cardinalis Dominicus Iorio *Sacerdos alter Christus*, Romae 1933. Versionem anglicam tradit Bouscaren *Canon Law Digest*, vol. I, p. 463 ad 473.

Expleta ordinatione, singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae testimonium; ordinatio adnotetur in speciali libro curiae episcopalis, et in libro baptismi promoti ad subdiaconatum; quae omnia fieri debent ad normam iuris. CIC 1010; 1011.

Fusius de subiecto ordinationis et de praerequisitis invenies apud cano-
nistas.

Caput III

DE TEMPORE ORDINATIONUM.

69 Prima tonsura qualibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis III classis, mane tamen (CIC 1006, § 4); non autem in festis vel feriis IV classis ⁽¹⁾.

Non prohibetur episcopus primam tonsuram et ordines minores conferre in sabbatis ordinum, tum una cum ordinatione generali ut in rubricis PR habetur, tum privatim; talis enim est praxis Urbis. Vide caput X huius tituli. EL 1933, p. 291.

Ordinationes in sacris celebrentur intra missarum sollemnia sabbatis quatuor temporum et sabbato ante dominicam I passionis. CIC 1006 § 2 ⁽²⁾.

“Cum vigilia paschalis ad nativam sedem restituta fuerit, non convenit, ut inter eiusdem Missarum sollemnia Tonsura vel Ordines minores aut maiores conferantur”. Ordinationes et declarationes circa ordinem hebdomadae sanctae instauratum. SRC, die 1 februarii anni 1957, n. V, 22.

Gravi tamen interveniente causa, episcopus potest ordinationes habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto, etiamsi sollemnitas externa, ex indulto, celebretur in dominico anteriori vel sequenti. D 3890, I, 3. CIC 1006, § 3. Excluduntur festa per CIC in universa Ecclesia suppressa. AAS 1936, p. 210 ⁽³⁾.

⁽¹⁾ Ante codicem disputabatur utrum episcopus possit ordines minores conferre quolibet festo duplici, an tantum duplicibus festivis seu ferialibus, licet suppresso praecepto audiendi sacrum. Legebatur enim in PR *festivis diebus duplicibus ex praecepto*. Codex tamen verba *ex praecepto* suppressit, antiquioribus editionibus PR se conformans. Unde dicimus, cum Catalano et aliis, episcopum posse ordines minores conferre die dominico vel quovis festo I, II, vel III classis licet a clero tantum, celebretur.

⁽²⁾ Ordinationes tempore s. Leonis, ex positivo praecepto apostolico, celebrandae erant diebus dominicis, nulla habita differentia quoad diaconatum, presbyteratum et episcopatum. Lex Papae Gelasii vero, in decreto gratiano confirmata et postea a Concilio Tridentino iterum sollemniter imposita, a prisca illa consuetudine recessit, instituens dies ordinationum. Primum statuerunt sabbata quatuor temporum, propterea septem habentur lectiones, quibus adiunxerunt sabbatum ante dominicam I Passionis; posterius denique sabbatum Sanctum. CIC decretum Tridentini confirmavit, seu decrevit ordinationes fieri debere sex sabbatis ordinum. Sic enim fit ut iure hodierno ordinationes haberi liceat in initio, in medio (in hebdomada mediana) et in fine quadragesimae, sicut antiquitus fiebat, nam tempus ieiunii et orationis ad clericos promovendos optime inservit. Vide Callewaert *La semaine mediana dans l'ancien Carême romain et les Quatre Temps*. Rev. Bén. 1924, p. 200, et in *Sacris erudiri* eiusdem, Abbatia sancti Petri de Aldenburgo, 1940, p. 561. EL, 1924, p. 256.

⁽³⁾ Ante codicem solebat Sancta Sedes episcopis concedere privilegium ordinandi in dominicis et festis de praecepto, licet suppresso praecepto post Urbanum VIII; privilegium canonis 1006 § 3, tamen ex eo quod sit contra ius, est *strictae interpretationis*; sed videtur extendi posse ad decem festa in universali Ecclesia servanda (CIC 1247,

Excipe tamen Dominicam II passionis seu in ramis palmarum et festum purificationis B. M. V. quando cadit in dominica, in quibus ordinatio sollemnis componi nequit ritibus diei; et dies dominicos qui veniunt immediate post sabbata ordinum; vel dies festivos de praecepto servandos qui veniunt immediate ante sabbata ordinum, cum nulla videtur adesse causa gravis antecipiendi vel postponendi ordinationes per diem unum.

Iudex de gravitate causae est ipse episcopus. Gravis causa est necessitas ordinandi cum sabbatum ordinum non occurrit. Cum ordinationes fieri soleant initio cursus seminarii post spiritualia exercitia communitalis, vel initio secundi semestri, non semper concurrunt tempus seminarii cum sabbatis ordinum.

Iure reprobantur consuetudines statutae legi contrariae; proinde reprobatur ordinatio extra tempora sine causa gravi, et praesertim reprobatur consuetudo ordinandi in sabbatis vel feriis per annum ⁽¹⁾, aut in festis quae non sint de praecepto servandae. CIC 1006 § 5.

Leges canonicae de temporibus servandae sunt cum episcopus latini ritus ordinat, ex apostolico indulto, clericum ritus orientalis aut contrarie. CIC 1006, § 5.

Lex de tempore se refert ad ordinationes tum solemnes, tum privatas, sed non ad casus de iteranda seu supplenda ordinatione, quae fieri debet secrete. CIC 1007.

§ 1) etiam in illis locis in quibus a servando praecepto dispensantur fideles; et ad festa de praecepto servanda ex indulto post codicem in ecclesiis particularibus.

Pontificia Commissio ad CIC interpretandum declaravit, die 15 Maii 1936, verba canonis 1006 § 3 *festis de praecepto* non esse ad festa ab ipso codice suppressa extendenda. Attamen scitur codex non solum nulla festa suppressisse sed elencho festorum a sancto Pio X edito in sua constitutione *Supremi disciplinae* (AAS 1911, p. 305) adiunxisse dua, Corporis Christi videlicet et sancti Ioseph. Supra dicta Commissio tamen declaraverat (AAS 1918, p. 170) festa omnia quae in CIC non adnumerantur, quocumque modo vel loco sub praecepto servanda, fuisse ab ipso codice abrogata. De istis loquitur Pontificia Commissio. De festis ante CIC suppressis, sive ab Urbano VIII sive a Pio X, nulla authentica interpretatio erat necessaria, cum iam non essent amplius festa de praecepto, seu illis diebus non licet ordinationes habere. D 2852 non amplius viget.

(1) In Statibus confoederatis Americae septentrionalis solent episcopi indultum impetrare ordinandi in sabbatis, extra tempora tamen. Ratio est quia paucae sunt ecclesiae et generatim implentur pro missis de praecepto audiendis. Putant ecclesiarum rectores ordinationes in die dominico multa incommoda secumferre pro illis qui sacrum audire tenentur, et proinde se illis opponunt. Huiusmodi indultum tamen rarius in dies conceditur.

Caput IV**DE LOCO ORDINATIONUM ET DE ASSISTENTIA
CLERI**

70 Episcopus extra proprium territorium sine ordinarii loci licentia nequit ordines conferre in quorum collatione pontificalia exercentur. CIC 337 §§ 1 et 2, et 1008.

Non prohibetur tamen episcopus extra proprium territorium primam tonsuram et ordines minores dare suis subditis privatim sine mitra, cum non sit pontificalia exercere, sicut de confirmatione dictum est. CIC 783 § 2 et 1008.

Cardinales possunt ordinationes habere ubique, etiam Romae, suorum subditorum, seu aliorum pro quorum ordinatione habent litteras dimissorias, praemonito ordinario loci si ordinatio in ecclesia cathedrali sit celebranda et servatis servandis; nam cum cardinales possunt ubique pontificalia exercere, possunt etiam ordinare. CIC 1008 et 239 § 1, n. 15.

Ordinationes generales in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior quantum fieri possit ecclesia adeatur. CIC 1009 § 1.

Sunt enim sollemnia verba Concilii Tridentini, a codice transcripta. Omnino vult Ecclesia ut ordinationes fiant quam sollemnissime; proinde, si episcopus sit in sua civitate episcopali, fiant in Cathedrali, si in alia civitate, eligatur dignior ecclesia loci.

In dioecesibus in quibus paucissimi sacerdotes ordinantur, pro illis ordinatio etiam unius sacerdotis aequivalet ordinationi generali, et fieri debet in ecclesia cathedrali, servatis legibus generalibus; nam praeter sollemnitatem vult etiam Ecclesia aedificationem et instructionem fidelium ad alias vocationes excitandas et enutriendas, quod etiam ordinatio unius consequitur.

Non prohibetur episcopus, iusta suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis, itemque in oratorio semipublico domus episcopalis, seminarii, aut religiosae domus. CIC 1009 § 2.

Tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in oratoriis privatis. CIC 1009 § 3.

Ordinationes particulares habentur in oppositione ad ordinationes generales, sic v. g. ordinatio clericorum talis religionis fieri potest in oratorio illius religionis; sed certe contra legem agit episcopus qui facit solum ordinationes particulares in diversis ecclesiis seu oratoriis suae dioecesis, posthabita Cathedrali, quae cum sit ecclesia propria episcopi, et mater ecclesiarum dioecesis, in ea non solum decet et convenit, sed etiam expedit ordinationes habere, et clericos sollemniter ad publicum ecclesiae servitium deputare.

Tenentur canonici omnes ordinationibus generalibus solemnibus in cathedrali interesse, dummodo intimentur a cursoribus seu alio statuto modo. CIC 1009 § 1.

Canonici ab episcopo ad ordinationes extra cathedralem invitati adire tenentur numero sufficienti sed tantum in civitate episcopali cum suis suburbiis, D 1760, II, III; CIC 412 § 1. In alio dioecesis loco, aderit, legitime convocatus, clerus loci. CIC 1009 § 1.

Caput V

DE CLERICO FACIENDO

71 Iuxta Tridentinum ad clericum initiandum sufficebat cognitio rudimentorum doctrinae catholicae, legere et scribere; post codicem nemo, sive saecularis sive religiosus, ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum. CIC 976 § 1.

Calvus potest admitti ad tonsuram clericalem, quae in casu super perrucha conferenda est, quae, per fictionem et ad effectum iuris, ab Ecclesia uti capilli proprii clerici habetur. D 2919.

Non licet primam tonsuram conferre una cum ostiariatu. CIC 978 § 3.

Initiandi, duobus saltem mensibus ante ordinationem, ad superiorem seminarii supplicem libellum mittere debent, manu sua exaratum, tonsuram petentes. Quae quidem petitio repetenda erit pro singulis ordinibus usque ad presbyteratum. Instructio SCS § 2, n. 1. AAS 1931, p. 120.

Qui ad primam tonsuram promovendus est, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies vacet. CIC 1001 § 1.

Ieiunium pridie initiationem laudabiliter fit, sed a iure non praecipitur, nec pro ordinibus minoribus vel maioribus, quando ordinationes fiunt extra tempora.

Caput VI

DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS

72 Post codicem non amplius licet plus quam duos ordines minores eodem die conferre. CIC 1001 § 1.

Interstitia inter primam tonsuram et ostiariatum, vel inter singulos ordines minores, prudenti episcopi iudicio committuntur. CIC 978 § 2.

Ad ordines minores promovendi vacare debent exercitiis spiritualibus per tres saltem integros dies. CIC 1001 § 1.

Quoad studia facta pro ordinibus minoribus tacent canones; sufficit proinde initium cursus theologici, iudicio episcopi.

Quilibet promovendus, sive saecularis sive religiosus, debet praevium ac diligens examen subire circa ipsos ordines suscipiendos. CIC 996 § 1.

Caput VII

DE SUBDIACONATU

73 Subdiaconatus ne conferatur ante annum vigesimum primum completum. CIC 975.

Non licet subdiaconatum conferre neque cum acolythatu neque cum diaconatu una simul, et reprobatur contraria consuetudo. CIC 976 § 2.

Interstitium acolythatum inter et subdiaconatum sit unius anni, iudicio tamen episcopi reduci potest. CIC 978 § 2.

Subdiaconatus ne conferatur nisi exeunte tertio cursus theologici anno. CIC 976 § 2.

Regularibus tamen solent dari indulta ordinandi in subdiaconos clericos solemniter professos exeunte primo vel secundo anno cursus theologici, dummodo compleverint vigesimum primum annum, sicut ante codicem fere ubique fiebat etiam apud saeculares.

Promovendi ad subdiaconatum vacare debent spiritualibus exercitiis per sex integros dies. CIC 1001 § 1.

Ad subdiaconatum vocati obligationes cum susceptione ordinis impositas calleant, praesertim de castitate perpetuo servanda, de divino officio bene recitando, de officio subdiaconi in missa solemnibus et frequentioribus functionibus exercendis; sciant enim se in Dei servitio perpetuo mancipari.

Promovendi ad ordinem subdiaconatus emittere debent professionem fidei coram loci ordinario eiusve delegato (CIC 1406 § 1, 7) iuxta formulam quae habetur in initio CIC. Insuper addenda est professio fidei contra modernistarum doctrinas. *Sacrorum antistitum* Pii Papae X. AAS 1910, p. 669. SO 22 Martii 1918, AAS 1918, p. 136.

Praeterea promovendi ad subdiaconatum, praeter petitionem chirographo suo exaratam ordinationem petentem, emittere debent coram suo ordinario, eiusve delegato, qui solet esse superior seminarii, iusiurandum fidelitatis Pii Papae XI propria manu subscribendum. Instructio SCS § 3, n. 1. AAS 1931, p. 120⁶ Formulae iurisiurandi haberi solent typis impressae.

Caput VIII**DE DIACONATU**

74 Diaconatus ne conferatur ante annum vigesimum secundum completum, et nisi incepto quarto anno cursus theologici in scholis ad id institutis. CIC 975, 976 §§ 2 et 3.

Interstitia inter subdiaconatum et diaconatum tribus saltem mensibus constant, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio episcopi, aliud exposcat. CIC 978 § 2.

Regulares post codicem solent instrui privilegio conferendi diaconatum incepto tertio anno cursus theologici.

Pro exercitiis spiritualibus sex integri dies requiruntur, sed ordinarius potest eos ad tres reducere pro illis qui intra semestre ad plures ordines maiores promovendi sunt. CIC 1001 § 1.

Promovendi periculum subeant de ordine recipiendo et de officio diaconi in sacris functionibus exercendo.

Insuper emittent iusiurandum fidelitatis Pii Papae XI, sicut ante subdiaconatum.

Caput IX**DE PRESBYTERATU**

75 Presbyteratus ante vigesimum quartum aetatis annum completum ne conferatur. CIC 975.

Solet tamen interdum Sedes Apostolica a lege aetatis aliquem eximere ad annum et, sed rarius, ad annum cum dimidio; quae quidem facultas dari potest a nuntiis seu delegatis apostolicis.

Presbyteratus conferri nequit nisi post medietatem quarti anni cursus theologici. CIC 976 § 2. Solent tamen regulares ex apostolico indulto promoveri iam ab initio quarti anni theologiae.

Pro interstitiis tres menses a iure requiruntur, iudicio episcopi aliquando ad bonum Ecclesiae reducendi. CIC 978 § 2.

Debent ordinandi per sex integros dies exercitiis spiritualibus vacare, exceptis illis qui ante sex menses diaconatum receperunt, pro quibus sufficiunt tres dies integri. CIC 1001, § 1 (1).

(1) SCS ad dubium: "An mens sit legislatoris ut praescriptum canonis 1001 § 1 adamussim servetur etiam in casu in quo alicui omnes sacri ordines brevissimo tempore, ex. gr., spatio unius mensis, conferantur", die 2 Maii 1928 in *Romana et aliarum* respondit: "Stetur canonis 1001 § 1, id est, si qui inter semestre, vel etiam spatio unius

Ordinandi bene sciant ordinem recipiendum et caeremonias tum missae lectae, tum solemnis, aliarumque functionum sacerdotalium, nam si ante ordinationem sacris ritibus non se applicent, post ordinationem minime illis studebunt.

Praeterea emittent iusiurandum fidelitatis Pii Papae XI, sicut ante subdiaconatum.

Presbyteri debent anniversarium suae ordinationis quotannis speciali modo commemorare, praesertim in celebratione missae, in qua orationi diei adiungent orationem *Pro seipso sacerdote* (orationes diversae n. 20), sub unica conclusione. Vide NRC, 451 s.

Promovendis ad presbyteratum, praesertim tempore spiritualium exercitiorum, enixe commendatur studium litterarum Pii Papae XI, *Ad catholici sacerdotii fastigium*. AAS, 1936, p. 1.

Caput X

DE ESSENTIA DIACONATUS ET PRESBYTERATUS

76 Quaestio de essentia sacramenti ordinis, seu de materia et forma, quae apud theologos et canonistas antea agitabatur, practice aliquando importat iterationem sacramenti; proinde maximi est momenti pro caeremoniarum magistris et episcopis clericos ordinaturis.

Sacramentum traditur impositione manus episcopi cum verbis quae ritum comitantur. Instrumentorum traditio cum verbis *accipe potestatem* et alia similia ponuntur ab Ecclesia ad susceptum ordinem clarius explanandum ad instar solemnis *celebret*. Quod quidem probatur praesertim verbis inspiratis, quae ita clara sunt ut interpretatione minime indigeant. Sic Paulus *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum*. 2a Tim. I, 6, 7. *Manus cito nemini imposueris*. 1a Tim. V, 22. Etiam Act. Apost. VI, 5; VIII, 15; XIII, 2 et 3. Verba Sacrae Scripturae ita semper intellexit Ecclesia, et *nunquam* permisit ordinationes sine manuum impositione. Et si interrogentur patres Ecclesiae usque ad saeculum octavum vel nonum, responsio erit unanims, de conlatione etenim sacramenti per manuum impositionem

mensis, ad plures ordines maiores promovendi sint, ordinarius poterit exercitiorum spiritualium tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies. Si vero sacri ordines... servatis servandis,... proximis diebus alicui conferantur,... praemissis semper sacro ordini, qui primus erit conferendus, spiritualibus exercitiis per sex integros dies, ceteris ordinibus, si fieri poterit, iudicio episcopi, ad normam canonis 1001 § 2, una saltem dies spiritualis recessus praemittatur". AAS 1928, p. 359.

non disputabatur. Sed ad omne tollendum dubium et ad sacerdotum conscientias melius tuendas, Pius XII, sua Apostolica constitutione *Sacramentum Ordinis*, diei 30 novembris anni 1947, declaravit sua infallibili auctoritate: "De materia et forma in uniuscuiusque ordinis collatione, eâdem suprema Nostra Apostolica Auctoritate... decernimus et constituimus:

A. In Ordinatione Diaconali materia est Episcopi manus impositio quae in ritu istius Ordinationis una occurrit. Forma autem constat verbis Praefationis quorum haec sunt essentialia, ideoque ad valorem requisita: *Emitte in eum quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur.*

B. In Ordinatione Presbyterali materia est Episcopi prima manuum impositio quae silentio fit (ceterae duae non sunt ad eius valorem). Forma autem constat verbis Praefationis quorum haec sunt essentialia, ideoque ad valorem requisita: *Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eius spiritum sanctitatis; ut acceptum a Te, Deus, secundi meriti munus obtineat, censuramque morum exemplo suae conversationis instruat.*

Verba essentialia, iuxta rubricas Pontificalis Romani, quae immutatae fuerunt, dici possunt et debent plurali numero quando plures simul ordinantur.

Verba sacramentalia, ad mentem decreti SRC, dici debent recto tono et elata voce sine cantu, servato tenore principalis notae Praefationis (ut fit in benedictione fontis dum celebrans halat in aquam). Dom Botte, apud *Maison Dieu*, n. 25, p. 136.

Apostolica constitutio Pii XII, s. m., acceptissima est, omnibusque profuit, praesertim illis (nobismetipsis) qui instrumentorum traditionem uti rem minime ad valorem requisitam, una cum cardinali Van Rossum, in prima huius operis editione strenue defendimus.

76-A EXCURSUS PRIMAE EDITIONIS Inde a secunda medietate saeculi decimi, hic et illic privata episcoporum auctoritate, et serius etiam Romae, introducta est consuetudo tradendi instrumenta, sed in Latina Ecclesia tantum. Ad rem Leroquais: "...la porrection du calice et de la patène dans l'ordination sacerdotale n'est pas attestée avant la seconde moitié du X^e siècle. Ni l'ancien Rit romain, ni le Rit gallican, ni les sacramentaires, ni les pontificaux manuscrits du IX^e et du début du X^e siècle n'y font allusion. Le premier qui la mentionne est le pontifical de Worms, de la seconde moitié ou de la fin du X^e siècle. Encore faut-il ajouter qu'au X^e siècle son témoignage demeure isolé". Tome I p. LXXXI.

Scholastici, qui voluerunt quaestiones omnes regulis logicis solve, posthabita codicum scrutatione et usu maiorum, cum in ritu impositionis manuum non invenissent verba quibus dicatur *esto sacerdos* vel *accipe potestatem*

sacerdotalem, et talia verba invenissent cum traditione calicis et patenae, se invenisse dixerunt materiam et formam ordinationis sacerdotalis clarissime expressam. Sed, posita materia et forma, non convenerunt circa statum materiae; quidam dixerunt sufficere traditionem calicis vacui et patenae vacuae; alii dixerunt tradi debere calicem cum vino et patenam cum hostia; alii distinxerunt inter calicem formalem et materiale et dixerunt non sufficere materiale, sed calicem oportere esse consecratum; cum vero essent antiquitus calices et patenae ex vitro, quaerebatur *utrum* deberent esse ex metallo; quaesitum quoque fuit utrum traditio calicis sine pede sufficeret; alii quaesierunt utrum vinum deberet esse aqua mixtum ad valorem ordinationis; alii dixerunt tum impositionem manuum, tum traditionem instrumentorum, vel etiam verba *accipe spiritum sanctum* esse essentialia, seu post manuum impositionem quis fieret sacerdos *in fieri*, et, tradito calice, *in facto esse*, seu per partes ponentes sacramentum. Alii volentes traditionem instrumentorum in Liturgia Byzantina invenire dixerunt ritum applicationis frontis super altare esse traditionem instrumentorum, et alia absurda.

Sed sufficiat scire Ecclesiam nullam habere potestatem circa essentialia sacramentorum, uti declaravit Tridentinum (s. XXI, c. II). Quid materia et forma ordinationis essentialius? Praeterea iuxta oppositam sententiam impossibile esset ex scripturis probare institutionem sacerdotii. Doctrina quae tenet manuum impositionem esse unicam partem essentialem ordinationis, nostris diebus, si excipias quosdam theologos ex ordine Praedicatorum, evasit communis. Sic enim sentiunt, inter alios, Pesch, *Praelectiones dogmaticae*, vol. 7, p. 308, qui dicit sententiam non esse probabilem sed moraliter certam; Tixeront, *L'ordre et les ordinations*, 2^e ed., Paris 1925, p. 176, Card. Gasparri op. cit., tom. II, p. 224 ss.; Many, op. cit., p. 483 ss.; Puniet, *Le Pontifical*, Paris 1930, 1^{er} vol., p. 219.

Lectores remittimus pro fusiore explanatione ad eruditam expositionem Gulielmi Cardinalis Van Rossum *De essentia sacramenti ordinis*, qua optime de Ecclesia meruit: vel manuum impositio est essentia ordinationis, vel Ecclesia mutavit pro latinis essentiam huius sacramenti et divisa est Ecclesia in essentialibus. Concludimus cum Cardinali Van Rossum *in hac sola manus impositione et oratione signum sacramentale ordinis, a Christo institutum et apostolica auctoritate traditum, certissime inveniri*. Ed. 1^a p. ultima. Vide etiam pulchram expositionem Many, de sacra ordinatione p. 483; et praesertim Galtier, *Imposition des Mains*, apud Dic. de Théol. Cath. Tome 7, col. 1408-1425. Etiam Coppens, *L'imposition des mains et les rites connexes*, Paris 1925.

Praeterea ordinatio per manus impositionem etiam monumentorum voce probatur. Vide ordinationem primorum diaconorum: *aquarelle* Titi Ridolfi secundi dimidii saeculi X, Togale Kilissé in Cappadocia. Apud Jerphanion, *La Voix des Monuments*, 2^e série, Paris 1938, planche XLVIII.

Locuti sumus de essentia presbyteratus, quia de essentia consecrationis episcopalis doctrina communis est fere unanimis, seu ponunt omnes consecrationem in manuum impositione; nam theologi non invenerunt in ritu consecrationis episcopalis traditionem alicuius instrumenti cum verbis constitutivis: *Accipe potestatem episcopalem* vel similibus.

De essentia ordinationis diaconalis fere nihil dicendum, nam si essentia esset in traditione libri evangelii, ut dixerunt nonnulli, fatendum ordinationes omnes diaconorum per octo saecula in Ecclesia fuisse invalidas, cum fierent sola manuum impositione. *La remise de l'évangélaire au nouveau diacre n'apparaît pas avant la seconde moitié du X^e siècle.* Leroquais tome I, p. LXIII. Praeterea quae dicta sunt de essentia presbyteratus applicari etiam debent tum diaconatui tum episcopatu, cum agatur de uno eodemque sacramento, quod non potest habere diversas materias, declaravit enim Tridentinum septem tantum esse Ecclesiae sacramenta. Sess. VII, De Sacramentis in genere, canon Ius.

P. S. Quae superius leguntur obsoleta sunt, nam Pius XII saeculari discussioni finem imposuit, curiositatis tamen gratia, in hac secunda editione conservantur.

Caput XI

DE RITU MISSAE ORDINATIONUM

77 MISSA SIT SOLEMNIS. Decet ordinationes celebrare solemniter seu cum cantu et sacris ministris, ordinatio est enim ritus natura sua sollemnis. In CIC legitur "Ordinationes in sacris celebrentur intra missarum sollemnia". CIC 1006 § 2. In iure liturgico missa sollemnis seu missarum sollemnia sunt ea quae fiunt cum cantu et sacris ministris, in oppositione ad missam lectam.

Praeterea PR semper supponit functionem solemnem cum cantu, et per totum ritum ordinationum tradit regulas servandas in missa sollemni; ter tantum dicit quid faciendum erit si missa sit lecta, et sunt rubricae recentiores. Propterea SRC interrogata de ordinatione generali lecta ad altare laterale, respondit ordinationem fieri debere ad altare maius et *cum cantu*. D 2011, III. Romae in Basilica lateranensi ordinationes generales fiunt semper cum cantu seu solemniter, et ab illa debent aliae cathedrales exemplum sumere.

Determinationes iuris liturgici circa ordinationes generales sese referunt; potius ad ordines maiores conferendos, qui omnino conferri debent solemniter, pro prima tonsura, et ordinibus minoribus missa pontificalis non requiritur, nisi una cum ordinibus maioribus conferantur. Proinde episcopus qui velit brevitas et commoditatis gratia, uno die tonsuram et ordines minores privatim

conferre, et in solemni ordinatione generali tantum ordines maiores dare, ageret ad tramitem iuris; tamen promotio tum ad ordines minores tum ad maiores in sabbatis quatuor temporum omnino laudatur: propterea enim septem habentur lectiones.

78 **ORDO MISSAE.** Si ordinatio fiat in sabbatis quatuor temporum vel in sabbato *Sitientes*, Missa ordinationum tum solemnis tum lecta erit semper de sabbato, etiam festo I et II classis occurrente. Sub unica conclusione cum oratione Missae quae sequitur *Dominus vobiscum*, additur oratio pro collatione ordinum, omissis commemorationibus, nisi sint privilegiatae. Ordinationes SRC, (n. 363; 406-409; 410; 450; 468-469) in novis Missalibus suis locis leguntur.

Si ordinatio fit extra tempora, seu in dominicis vel festis de praecepto ex causa gravi, Missa dicitur de dominica vel festo cum orationibus seu commemorationibus et omnia alia prout iacent in calendario, adiecta oratione pro collatione ordinum sub unica conclusione cum oratione diei.

In sabbatis temporum, cum septem ordines sunt conferendi, septem habentur lectiones legendae; post unamquamque lectionem unus confertur ordo, presbyteratus vero ante septimam lectionem, evangelium nimirum.

TITULUS II

DE SOLEMNI ORDINATIONE GENERALI AB ORDINARIO CELEBRATA IN SABBATIS ORDINUM

Caput I

CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

ART. I — CLERUS ORDINATIONIS

79 ADERUNT:

Episcopus celebrans.

Sacri ministri.

Diaconi assistentes ad thronum.

Presbyter assistens, qui erit archidiaconus.

Caeremoniarum magistri duo vel tres.

Crucifer, si celebrans sit metropolita.

Ministri insignium quatuor:

pro mitra, baculo, libro et scotula.

Ministri ad abacum quatuor:

ceroferarii duo; thuriferarius;

unus pro gremiali et ampullis.

Familiares episcopi tres:

secretarius qui erit etiam notarius;

caudatarius;

cubicularius.

Pro elevatione Sacramenti:

clerici quatuor pro intorticiis.

Sacrista cum habitu talari et superpelliceo.

Numerus ministrorum allatus sufficit; experientia enim didicimus eorum multiplicationem sine necessitate potius obstruere quam adiuvere caeremoniarum ordinem.

CE supponit ministros duos pro gremiali et ampullis, sed sufficit unus, uti docent auctores fere omnes cum Bauldry.

Octo ministri, insignium videlicet et abaci, vestitioni episcopi inservient iuxta CE I, 11, 2.

ART. II — REGULAE SERVANDAE

80 In iure ordinatio generalis ea est quae a loci ordinario, vel ab alio episcopo ab eo deputato, solemniter seu cum cantu peragitur in ecclesia cathedrali in sabbatis ordinum. Generalitas non desumitur proinde e numero ordinandorum de facto, nam ordinantur quotquot ordinandi sunt; et si in aliqua dioecesi unus tantum promovendus ad ordinem maiorem habeatur, pro eo ordinatio evadit generalis: canonici vel clerus interesse tenentur, missa erit de sabbato, et omnia fiunt ut in hoc titulo habetur.

Si nullus habeatur promovendus ad aliquem ordinem, transitur ad sequentem, et si unus tantum ordinandus sit in aliquo ordine, omnia fiunt in singulari.

81 EPISCOPUS ORDINANS.

Mitra 1. Episcopus utitur mitra simplici (e tela aurea) toto tempore ordinationum, deponenda: quando canit orationes ad Deum cum suis versibus; ad lumen versum hymni *Veni, Creator*; ad praefationes duas; pro intonatione responsorii *Iam non dicam vos servos*.

Si ordinatio fit in colore violaceo mitra simplex tantum adhibebitur; si vero ordinatio fit cum vestibus albis vel rubeis seu in Sabbato Pentecostes, episcopus adhibebit mitram pretiosam ad missam more solito et ad offertorium.

Baculus 2. Celebrans utitur baculo, etiamsi non sit loci ordinarius, et eum in manu sinistra habebit: dum pergit de throno ad altare et vicissim; ad litanias dum benedicit electos; ad benedictionem presbyterorum in fine inde ab exhortatione *Quia res* etc.; dum imponit paenitentiam; et ad missam solito more; tempore ordinationum non utitur baculo.

Caligae et Sandalia 3. Vide regulas in consecratione episcopi datas, p. 187, n. 3.

Intonationes 4. Episcopus intonat tantum hymnum *Veni, Creator* et responsorium *Iam non dicam* in ordinatione sacerdotum.

Cantus 5. Episcopus cantat in tono feriali:
Praefationes duas pro diaconis et presbyteris.

Recto tono seu simplici:

Orationes seu collectas omnes cum suis versibus;

Invocationes omnes et invitationes ad orationes cum suis versibus;

Benedictionem presbyterorum in fine ordinationis.

Tono proprio:

Benedictiones tres electorum ad litanias.

Ea omnia quae in missa more solito cani debent.

Nequit episcopus se eximere a cantu omnium orationum et invocationum seu invitationum, quas stans dicit, officium est enim solemne et totum cum cantu.

Recitationes

clara voce

6. Episcopus recitat clara voce:

Admonitiones omnes ad ordinandos et exhortationes ad populum;

Formulas traditionum instrumentorum et indumentorum et consecrationis manuum.

Interrogationem *Scis illos dignos esse?* cum *Deo gratias* ante ordinationem diaconorum et presbyterorum.

Formulas *Accipe Spiritum Sanctum* etc., in ordinatione diaconi et presbyteri;

Ecce Agnus Dei et *Domine, non sum dignus* ante communionem;

Corpus Domini etc. dum Sacramentum tradit ordinatis.

Interrogationem *Promittis mihi* etc., et *Pax Domini sit semper tecum* pro neo-presbyteris.

Positio manuum

7. Episcopus habebit manus iunctas ante pectus dum canit orationes et invocationes ordinationis cum suis versibus.

Episcopus manum dexteram extensam versus diaconos habebit pro ultima parte praefationis eorum; et versus presbyteros ab impositione manuum usque ad invocationem *Oremus, fratres carissimi* etc. inclusive.

Episcopus manus extensas ante pectus habebit ad cantum duarum praefationum, usque ad conclusionem exclusive.

Quomodo se vertit

8. Episcopus quando apud faldistorium se vertere debet ad altare, id facit super sinistram suam, et super dexteram suam, quando ad ordinandos se vertit,

sicut pro *Dominus vobiscum* ad missam. Sed inverso ordine si altare locetur ad introitum presbyterii ita ut episcopus sedens terga vertat ad populum. CE I, 19, 4.

Abstentiones

9. Episcopus non recitat partes schorales ordinationis, sed tantum Missae.

Responsiones

10. *Amen* et aliae responsiones post unctionem manuum presbyterorum, post vestitiones vel traditionem instrumentorum dicuntur ab ordinandis. Responsiones in cantu fiunt a schola.

82 ARCHIDIACONUS erit etiam presbyter assistens sicut in oleorum consecratione, ne oriatur confusio ⁽¹⁾.

Si archidiaconus abest, unus canonicus ex ordine presbyterorum vel alia dignitas si aderit, fungitur officio presbyteri assistentis et archidiaconi.

Ubi non exstant capitula canonicorum nec archidiaconi, dignior de clero fungitur officio presbyteri assistentis et archidiaconi insimul.

Presbyter assistens nudato capite officium suum exsequatur ad altare, etiamsi gaudeat usu mitrae. D 1416; 2624, XVIII.

Tempore ordinationum, nisi aliter notetur, presbyter assistens ad locum suum in choro recedit; vel ad scamnum si non aderit chorus.

Archidiaconus meminerit secum ferre Pontificale parvum, in officio suo obeundo necessarium.

83 SACRI MINISTRI inserviunt ordinationi, cum sit officium ad altare et non ad thronum. Stabunt detecto capite dum episcopus sedens legit exhortationes et facit ordinationes.

Si sint protonotarii et gaudeant collegialiter usu mitrae, tempore quo fiunt ordinationes stabunt ad latus episcopi sine mitra, ratione ministrationis. D 2624, XVIII.

⁽¹⁾ Licet munus presbyteri assistentis, episcopo pontificaliter celebrante, pertineat ad primam dignitatem (CE I, 7, 1; DD 284; 599; 2659, I, 1, 2), excepta feria sexta in Parasceve, tamen, iuxta doctrinam communem auctorum et usum receptum, in oleorum consecratione assistens est ipse archidiaconus, qui hodie semper est presbyter. Ratio est evidens, nam iuxta PR archidiaconus debet inservire episcopo ad extris dum olea consecrantur, quod quidem fit intra missam; et si alius adesset assistens, deberet frequenter discedere, et locum suum archidiacono cedere, quod inconveniens est. Pro ordinationibus eadem valet ratio; nam iuxta PR archidiaconus debet a dextris episcopi ministrare; proinde si alius adesset assistens, deberet tot vicibus locum suum alteri cedere, quod difficiles redderet caeremonias. Proinde dicimus archidiaconum esse etiam presbyterum assistentem. Quod quidem confirmatur decreto 1182 SRC et auctoritate Martinucci, qui dicit in sabbato sancto officium presbyteri assistentis expleri debere ab archidiacono propter ordinationem eo die faciendam. MM vol. 3, p. 559.

Iuvat hic adnotare differentiam inter CE et PR. In PR archidiaconus est 1^{us} minister episcopi, qui a sancto Thoma vocatur quasi *princeps ministerii* (Suppl. Quaest. 38, art. I, ad 2^{um}). Solebat archidiaconus cum amictu, alba et stola, sine dalmatica (PR De reconciliatione paenitentium) episcopo ministrare et functiones dirigere, quasi earum moderator. In CE 1^{us} minister episcopi est presbyter assistens, et nihil refert quo nomine vocetur, est enim dignior inter pares (CE I, 7, 1); functiones a clerico ad hoc deputato diriguntur, et de archidiacono ne verbum quidem habes. Differentia haec explicatur ex eo quod PR tradit usum antiquum, decursu temporum mutatum, et CE usum posteriorem. Forsan differentia haec inter libros liturgicos in definitiva editione PR solvatur, ad presbyterum assistentem munera archidiaconi (vel archipresbyteri in consecratione virginum) transferendo, nam 1^{ma} dignitas capitulorum diversis nuncupatur nominibus. Nihil obstaret etiam si, in ecclesiis cathedralibus ubi canonicorum capitula desiderantur, dignitates archidiaconi vel archipresbyteri, de permissu Sanctae Sedis, instituerentur, adiectis pro unoquoque officiis vel honoribus.

Diaconus ministrans mitram imponit et aufert ad altare, sicut etiam gremiale, iuxta regulam pro functionibus ad altare.

84 **DIACONI ASSISTENTES** inservient tantum tempore missae ad thronum; dum fiunt ordinationes se sistent ad loca sua in choro.

Si non adest canonicorum capitulum, tempore ordinationum sedere poterunt ad scamna seu scabella ministrorum, a latere epistolae, ita tamen ut non obstruant caeremonias.

Deficientibus diaconis assistentibus, sacri ministri supplebunt pro ipsis ad thronum. CE II, 27, 14. D 3114, III.

85 **CAEREMONIARUM MAGISTRI.** Primus omnia dirigit, sed intentus erit praesertim circa personam episcopi. Secundus curam habebit de ordinandis et de ministris. Si ordinandi sint multi, convenit tertium adhibere qui cum secundo ordinandos dirigat. Caeremoniarii ordinandorum erit eos efformare in circulo, sive in lineis si sint multi, ante episcopum cum ab archidiacono vocantur et ad loca sua iterum ducere.

86 **MINISTRI INSIGNIUM.** Qui de mitra et baculo, tempore ordinationum se sistent hinc inde in plano: mitra a dextris episcopi et baculus a sinistris. Quoties pontifex induere vel deponere debet mitram, minister de mitra se confert in suppedaneum ad dexteram diaconi, cui tradit vel a quo accipit mitram.

Ministri de libro et scotula (regulariter liber a sinistris et scotula a dextris libri), se sistent semper versus sinistram episcopi, ne impediant ordinationes, et stabunt cum ministrant, ad instar legilis, nisi locus aliud exigat.

87 **MINISTRI ABACI.** Acolythi ceroferarii inservient etiam manuum lotioni episcopi, nisi ad hoc adhibeantur familiares eius, quorum munus est.

Minister de gremiali curam habebit etiam de chirothecis et de annulo episcopi, ac de spinulis sacri Pallii, si eo utatur. Se sistit in suppedaneo a dextris diaconi quoties opus est, cui tradit vel a quo accipit gremiale.

88 **NOTARIUS** erit secretarius episcopi indutus cappa, vel eo deficiente, unus caeremoniarum magister. Notarius pausatim legat nomina promovendorum, exspectans toties quoties responsionem vocati *Adsum*; nec dicit *reverendus*, *dominus*, vel titulos nobilitatis, si habeantur, sed nomina tantum.

89 ORDO IN VOCATIONE SERVANDUS

PRO PRIMA TONSURA:

Primo vocantur regulares, qui vota sollemnia emiserunt, deinde religiosi professi votorum simplicium, ultimo saeculares ⁽¹⁾.

PRO ORDINIBUS MINORIBUS ET MAIORIBUS:

Primo vocantur clerici saeculares, deinde religiosi.

Nullus datur ordo praecedentiae inter saeculares vel religiosos eiusdem familiae; melius erit servare ordinem alphabeticum, vel aetatis uniuscuiusque.

Inter regulares ordo erit sequens:

- 1) Canonici regulares.
- 2) Clerici regulares.
- 3) Monachi.
- 4) Fratres mendicantes.
- 5) Clerici congregationum votorum simplicium.

Inter diversos ordines canonicorum, clericorum, monachorum et fratrum, praecedentia sumitur a fundatione et eadem est ac in processionibus. (Ordinem praecedentiae tradit Card. Gasparri, De ordinatione, n. 1011).

90 ORDINANDI ad ordines maiores sacram communionem intra missam recipere tenentur. CIC 1005. Ad primam tonsuram et ad ordines minores promoti, iuxta receptum usum, laudabiliter cum aliis intra missam sacra eucharistia reficientur.

Tonsurandi et ordinandi omnes candelam dimidia librae gestabunt, episcopo postea offerendam. Si ordinandorum numerus est valde magnus, omnes candelam ferunt, sed tantum primus uniuscuiusque ordinis ipsam episcopo offert. D 2883, IV.

Neo-presbyteri concelebrant cum pontifice, et possunt proinde ad suam intentionem missam offerre. Cf. De la Taille, *Mysterium Fidei*, elucidatio XXVIII, appendix D: *De concelebrantium sacerdotum stipendiis*.

Si unus tantum vel duo sint ordinandi, cum ascendere debent ad suppedaneum non genuflectunt, si iam erant genuflexi, sed assurgunt et statim ascendunt; et cum descendunt, si debeant nixi adstare genibus, statim sic se sistunt coram episcopo, nulla facta prius genuflexione.

91 CHORUS tempore missae sequitur regulas missae pontificalis.

Genua flectit ad orationes missae et ad postcommuniones, et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive, excepto sabbato Pentecostes. Dum fiunt ordinationes, sedet, surgit, genuflectit, prout facit episcopus; sed genuflectit

⁽¹⁾ Praecedentia regularibus concessa pro prima tonsura, a Benedicto XIII data est. Vide Card. Gasparri, o. c., n. 1011.

ad *Flectamus genua*; non assurgit vero cum ipse surgit tempore litaniarum electos benedicturus; in quibusdam casibus stat chorus, licet sedeat episcopus, ut pro cantu totius hymni *Veni, Creator*, responsorii *Iam non dicam*, et in quibusdam aliis locis ut infra dicitur.

Extra tempus suarum ordinationum, ordinandi faciunt partem chori.

¶ In ecclesiis cathedralibus, ubi non exstant canonicorum capitula, decet ut digniores de clero, qui ordinationi ab ordinario celebratae intersunt, et manus neo-presbyteris imponere debent, inde ab initio functionis assumant amictum et planetam coloris missae super superpelliceum sine stola, vel super rochetum si sint praelati, et ita induti loca sua sumant in choro, capituli ad instar, ad maiorem sollemnitatem. PR ubi de impositione manuum.

92 PULSATOR ORGANI a pulsando abstinebit toto tempore ordinationis et concelebrationis, etiam in sabbato Pentecostes, nisi comitaturus erit cantum.

¶ Vide in initio huius operis regulas generales in functionibus PR servandas, prolegomena, cap. IV.

Hic habes ritum servandum quando episcopus facit praeparationem ad missam et sacras vestes accipit in choro dum canitur hora nona, uti a Caeremoniali Episcoporum supponitur diebus ferialibus. Sed cum generatim ordinatio generalis fit modo solemni, laudabiliter episcopus faciet praeparationem in secretario, ubi potest etiam caligas et sandalia et sacras vestes induere; sequitur sollemnis et processionalis ingressus pontificis una cum suo clero et ordinandis, qui in capite processionis eunt.

Caput II

DE PRAEPARANDIS

COLOR: violaceus — rubeus sabbato Pentecostes ⁽¹⁾.

93 I) IN SACRARIO

PRO SACRIS MINISTRIS:

Amictus duo; albae duae cum cingulis; stola diaconalis una; dalmaticae duae, si eo die adhibeantur; bireta duo.

(1) PR tacet de colore vestium ordinandorum; rubrica appendicis dicit esse debere album, sicut in consecratione episcoporum; SRC tamen declaravit, et bene quidem, vestes esse debere coloris missae (D 3832 II); sed quantum fieri poterit, nam ubi multi sunt ordinandi uniformitas coloris difficile servari poterit, excluso semper nigro colore, et utentur omnes vestibus simplicibus aequalibus. Vide EL, 1899, p. 247-250.

PRO DIACONIS ASSISTENTIBUS:

Dalmaticae cum amictibus.

PRO SUBDIACONO CRUCIFERO (si celebret metropolita):

Amictus; alba; cingulum; tunica. Crux hastata.

PRO MINISTRIS INSIGNIUM:

Superpellicea quatuor; pluvialia quatuor si eis utantur; vela serica duo.

PRO TONSURANDIS ET ORDINANDIS IN MINORIBUS:

Superpellicea ⁽¹⁻²⁾.

PRO SUBDIACONIS ORDINANDIS:

Amictus; albae; cingula; tunicae ⁽³⁾; manipuli.

PRO DIACONIS ORDINANDIS:

Amictus; albae; cingula; dalmaticae; manipuli; stolae diaconales.

PRO PRESBYTERIS ORDINANDIS:

Amictus; albae ⁽⁴⁾; cingula; manipuli; stolae; planetae ⁽⁵⁾, plicatae in parte posteriori; mappulae lineae pro manibus aptandis, super longitudine plicatae.

PRO OMNIBUS TONSURANDIS ET ORDINANDIS:

Candelae dimidia librae.

PRO CLERO UNIVERSO:

Superpellicea et libri parvuli cum ritu ordinationis.

PRO THURIFERARIO:

Thuribulum cum navicula.

Vasculum aquae benedictae cum hyssopo.

(1) Pro clericis initiandis adhiberi nequit rochetum loco superpellicei; SRC saepius prohibuit usum rocheti, vel superpellicei cum manicis angustis ad instar rocheti, clericis qui privilegio rocheti non gaudent. DD 2993, V; 3438, VIII.

(2) PR supponit casum quo copia superpelliceorum non adesset pro omnibus tonsurandis, et dicit sufficere unum in casu; sed cum tonsurati tenentur postea missae solenni interesse, omnino necesse est ut unusquisque suum superpellicium habeat, cum sine veste choralis non liceat choro interesse.

(3) Si tunicae vel dalmaticae deficerent, sufficeret, licet minime conveniat, unam tantum adhibere pro omnibus promovendis, qui eam acciperent, et statim dimitterent, proximo induendam. Ita etiam Durandus. Andrieu tome III, p. 357 et 362.

(4) Omnino convenit adhibere albas et superpellicea simplicia et aequalia, pro quibus reticulata texticula minime requiruntur. Solent enim frequenter ordinandi adhibere albas et superpellicea ipsis oblata cum ornatis diversis, saepe minime liturgicis, quae non omnes habent.

(5) Casulae adsint omnino pro omnibus presbyteris, quia celebrare debent. Ita etiam Durandus. Andrieu tome III, p. 368.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI:

Funalia quatuor.

94 II) AD ALTARE SSIMI. SACRAMENTI

Genuflexorium tapeto coopertum, cum pulvinaribus.

Sex cerei accensi, cum illuc pergit episcopus ante et post functionem.

95 III) IN PRESBYTERIO:

AD ALTARE:

Septem candelabra cum cruce tantum; albae tobaleae tres; pallium sericum coloris missae.

Tapeta super gradibus altaris, et in presbyterio pro prostratione ordinandorum.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO:

Planeta; chirothecae in lance; dalmatica et tunica; stola; alba cum cingulo; amictus; quae omnia gremiali concolori officio cooperiuntur.

A latere evangelii mitra simplex; in sabbato Pentecostes vero ponetur a latere epistolae, et mitra pretiosa a latere evangelii. Baculus pastoralis aderit a cornu evangelii.

Si celebret metropolita:

Sacrum pallium coopertum serico velo coloris diei, in lance a latere evangelii altaris et spinulae tres in altera lance.

ANTE ALTARE:

Faldistorium sua veste coopertum cum pulvino.

SUPER ABACO MISSAE ⁽¹⁾, a latere epistolae, alba tobalea contecto:

Candelabra duo cum cereis pro ceroferariis.

Calix et patena, cum palla, binis hostiis et binis purificatoriis.

Velum subdiaconi, super calice explicatum.

Velum calicis.

(1) Experientia didicimus convenientissimum esse si parva mensa locetur prope thronum, praesertim si thronus sit a latere evangelii, in quo poni possit missale vel canon episcopi, candela, et gremiale. Verum est CE talem mensam admittere pro assistentia episcopi tantum (II, 18, 1); sed valde inconveniens est si minister de libro v. g., qui locum suum habet ad thronum, cum ibidem adest episcopus, saepius presbyterium totum perambulare teneatur ad missale quaerendum vel reponendum apud abacum a latere opposito. Id valet de aliis ministris insignium qui ad thronum inserviunt et non ad abacum.

Bursa cum corporali.

Pyxis cum hostiis pro ordinandis, tot quot erunt communicandi.

Tobalea alba oblonga, sustinenda hinc inde ante communicandos.

Ampullae vini et aquae in pelvicula.

Patera praegustationis.

Urceus cum pelvi.

Manutergia in lance.

Campanula.

Canon pontificalis.

Breviarium chorale.

Missale.

Epistolae et Evangelia cum manipulo Episcopi.

Scotula cum candela.

Tabellae *Confiteor* et indulgentiarum.

SUPER ABACO ORDINATIONIS a latere epistolae, alba tobalea contexto, ab alio seiuncto, vel ubi commodius:

AD USUM EPISCOPI:

Ritus ordinationis in folio.

Forfices in lance.

Oleum catechumenorum in lance.

Citreum vel medulla panis in lance et gossypium.

Gremiale lineum.

PRO NOTARIO:

Elenchus ordinandorum, iuxta ordinem praecedentiae et facta mentione tituli sustentationis subdiaconorum curiae instrumento confectus.

PRO PRESBYTERIS MANUS IMPOSITURIS:

Stolae, nisi utuntur planetis.

PRO OSTIARIIS:

Claves duae in lance ⁽¹⁾.

Tintinnabulum.

(1) Pro ostiariatu solent adhiberi claves symbolicae sat amplae; minime necesse est uti clavibus ecclesiae, agitur enim de symbolo ut dicit Vidal (Ius canonicum, de rebus, I, n. 289). Non requiritur proinde ut sint aptae ad aperiendum, sicut dixit SRC in decreto quodam, e nova collectione dempto propter verba *aptae ad aperiendum*. D 4565, VII, 1, antiquae collectionis. Antiquitus tamen claves ecclesiae revera tradebantur. Andrieu, tome III, p. 341.

PRO ACOLYTHIS:

Ceroferarium cum cereo exstincto ⁽¹⁾.

Ampullae vacuae vini et aquae cum suo catino.

PRO SUBDIACONIS:

Calix cum patena, sine elementis.

Ampullae cum vino et aqua ac manutergium in lance.

PRO LECTORIBUS, EXORCISTIS, SUBDIACONIS AC DIACONIS:

Epistolae et Evangelia.

PRO PRESBYTERIS:

Calix cum vino aqua mixto, et patena cum hostia.

SUPER MENSA ALIA extra ambitum oculorum:

Pelves cum aqua, citrea et manutergia, ad usum presbyterorum post manuum unctionem.

Canistrum ad recipiendas candelas.

SUPER SCAMNO:

Manipuli duo.

PRO ORDINANDIS IN CHORO:

Scamna oblonga.

PRO PRESBYTERIS post offertorium:

Scamna oblonga seu genuflexoria lignea ⁽²⁾, vel scabella, cum missalibus, signaculis positis in foliis legendis, tot quot ordinandi erunt.

THRONUS EPISCOPI suis instructus vestibus, cum tribus scabellis et pulvino.

LEGILE nudum pro lectionibus, cooperiendum pro cantu evangelii.

A LATERE EVANGELII (si celebret metropolita):

Basis pro infigenda cruce.

(1) Non licet pro acolythis adhibere candelam episcopalem loco candelabri. D 2194, IV.

(2) In observantissima ecclesia metropolitana Westmonasteriensi genuflexoria lignea aequalia adhibentur pro presbyteris qui concelebrant cum episcopo, usus certe laudandus. In quibusdam locis, Galliae praesertim, presbyteri genua flectunt in ultimo gradu altaris et parva missalia in manibus tenent, usus non laudandus, nam non solum facit ritus missae pontificalis vix exsequibiles, cum etiam dignitati concelebrantium se opponit. De sacerdotibus assistantibus tacent rubricae, sufficiunt enim caeremoniarii, quorum munus est neo-sacerdotes in celebratione missae dirigere. In Urbe tamen huiusmodi sacerdotes assistentes semper adsunt.

PRO CANONICIS suis in locis in choro:

Pluvialia pro dignitatibus et presbytero assistente; casulae, vel dalmaticae pro aliis; amictus pro omnibus.

¶ Si non aderit canonicorum capitulum, parentur casulae pro sacerdotibus manus imposituris, qui eas, inde ab initio missae, induant super superpelliceum, capituli ad instar.

PRO PROSTRATIONE ORDINANDORUM:

Pulvini violacei vel virides lanei, non tamen praelatitii, tot quot ordinandi in maioribus, si solent adhiberi.

96 **MODUS VESTIENDI ORDINANDOS.** Promovendi ad ordines maiores induunt amictum, albam et cingulum.

Subdiaconandi amictum induunt super caput modo monachorum et circa collum firmant, et, firmata alba cum cingulo, eum super albam deponunt, postea ab episcopo super caput eorum imponendum; tunicam ac manipulum super brachium sinistrum ponunt.

Diaconandi manipulum aptant brachio sinistro et accipiunt dalmaticam et stolam diaconalem super brachium idem.

Presbyterandi habeant manipulum brachio sinistro firmatum, et stolam ab humero sinistro pendentem, et subter brachium dexterum aptatam, ita tamen ut possit facile amoveri; casulam, in parte posteriori replicatam, super brachium sinistrum, ac mappulam lineam unctionis cingulo aptatam.

Ordinandi in minores superpelliceum tantum induunt, quod initiandi super brachium sinistrum plicatum portant.

Omnes se praesentant cum tonsura et habitu talari sed sine biretis; tonsurandi tamen tonsuram aperient finita ordinatione tantum.

Caput III

RITUS SERVANDUS

97 **ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE**

Adventus episcopi 1. Post sextam, dato signo a magistro caeremoniarum, et accensis candelis altaris, canonici et clerus ecclesiae ibunt ad consociandum episcopum ad ianuam ecclesiae, vel ubi recipi solet. Aderit acolythus thuriferarius cum vasculo aquae benedictae, et, si celebrans sit metropolita, crucifer cum *crocea* seu cappa adstabit. Ad introitum episcopi sonentur sacra aera turris, sed silent organa, excepto sabbato Pentecostes.

Episcopus, caligis et sandaliis iam indutus, cum suis familiaribus pergit ad ecclesiam, cappa magna indutus, vel eam induit ad ianuam, et recipitur more solito; deinde, facta brevi oratione ad altare ssimi. Sacramenti, ibit ad altare maius, et ante faldistorium genuflexus aliquantulum orabit; dum omnes loca sua sumunt, canonici qui fungi debent munere assistentium diaconorum flectunt genua paulo retro post episcopum, sed presbyter assistens ad locum suum in choro accedit.

Subdiaconus missae in albis (in sabbato Pentecostes etiam cum tunica), cum bireto, se sistit ad scamnum ante adventum pontificis.

Cantus nonae et praeparatio episcopi	2. Episcopus ascendit ad thronum cum diaconis assistentibus, et sedet paulisper, cooperto capite. ¶ Sacristae seu acolythi faldistorium e medio choro amovebunt.
---	---

Episcopus, nudato capite, surgit, et intonat versum *Deus, in adiutorium* in tono feriali, signans se more solito.

Chorus cantum horae nonae de officio diei currentis prosequitur.

Cantores duo intonant hymnum *Rerum Deus*, et, post intonationem antiphonae ab illo cui competit, incipiunt psalmos nonae.

Ad doxologiam hymni omnes caput profunde inclinant, et incepto psalmo, sedet episcopus et chorus.

Psalmi canentur ita ut absolvantur cum episcopus recitaverit praeparationem ad missam et orationes indumentorum.

Ministri se praesentant cum canone et candela et episcopus, cooperto capite, alternate cum assistentibus, qui stabunt, facit praeparationem submissa voce, adiungens orationes vestitionis sueto more.

¶ Non assurgit chorus cum episcopus surgit ad orationes praeparationis, nam intentus est recitationi psalmorum.

¶ Cum incipitur cantus psalmorum, caeremoniarius ordinandorum signum dat ordinandis ut sacris vestibus se induant in aula propria.

Postquam episcopus orationes praeparationis recitavit, discedunt ministri de libro et scotula.

Vocati a 2º magistro caeremoniarum, canonici duo qui substituere debent assistentes, diaconus ministraturus et presbyter assistens, de choro descendunt et se sistunt in medio ante altare, ubi, facta cruci reverentia, procedunt: diaconus ad sacrarium (post reverentiam episcopo) et tres assistentes ad thronum.

Diaconi assistentes de throno descendunt et, una simul cum aliis, reverentur episcopum.

Presbyter assistens et canonici duo ad thronum accedunt, et diaconi assistentes, facta reverentia cruci, ad sacrarium se conferunt ⁽¹⁾.

In sacrario diaconus missae accipit amictum, albam cum cingulo, et stolam, et assistentes induunt dalmaticas.

Finitis psalmis, chorus antiphonam repetit et surgit pontifex, operto capite, et cum eo chorus.

Incepta repetitione antiphonae, subdiaconus missae, accepto libro a caeremoniario 2º, cum solitis reverentiis, ipse librum sustinens, cantat capitulum nonae in loco ubi cani solet epistola, et, iteratis reverentiis, ad locum suum revertitur.

A cantoribus cantetur responsorium et versus.

Ministri de libro et scotula se sistunt ad thronum; libriger breviarium tradit presbytero assistenti et episcopus cantat collectam officii cum *Ÿ. Dominus vobiscum* ante et post ⁽²⁾.

Presbyter assistens librum tradit ministro, et discedunt ministri de libro et scotula.

Cantores in tono feriali cantant *Ÿ. Benedicamus Domino*, et, responso a choro *Deo gratias*, absolvitur hora nona, nec aliud adiungitur.

1. lotio manuum episcopi 3. Diaconi assistentes et diaconus ministrans, suis vestibus propriis induti, pergunt in presbyterium; diaconus ministrans se sistit ad scamnum cum solitis reverentiis prope subdiaconum; diaconi assistentes post reverentiam ad crucem, una simul cum duobus canonicis qui de throno descendunt reverentur episcopum: substituti ad chorum revertuntur, et diaconi assistentes ad thronum ascendant.

Episcopus, adiuvante cubiculario suo, deponit cappam, sedet iterum et accipit biretum.

Ministri lotionis se praesentant ante episcopum, qui more solito manus lavat, presbytero assistente mantile ministrante.

⁽¹⁾ Simplicior evaderet praeparatio ad missam, si diaconi assistentes ad thronum, ibi remanerent usque ad lotionem manuum episcopi inclusive, et tunc ad chorum redirent cum presbytero assistente, ad sacras vestes induendas. In missa solemni festiva diaconi assistentes cum habitu choralis lotioni manuum episcopi inserviunt, qua finita, discedunt simul cum presbytero. CE II, 8 10. Secuti sumus tamen CE et iubemus diaconos assistentes vestes sacras induere in sacrario cum diacono missae, et, sacris vestibus indutos, lotioni manuum inservire. CE II, 8 §§ 4, 5, 6.

⁽²⁾ Iuxta MM deberent acolythi candelabra sustinere ad cantum orationis nonae, sed hoc proprium est officii solemnis, quando hebdomadarius, vel episcopus paratus, orationem cantat; hic episcopus non est paratus. Praeterea, iuxta CE cantus horae minoris fit sine solemnitatibus in casu. CE II, 13, 2. Regula eadem est ac illa pro oratione dicenda in fine officii defunctorum. CE, II, 10, 8.

Presbyter et diaconi assistentes, postquam episcopus lavit manus, a throno discedunt, cum debitis reverentiis, et loca sua sumunt in choro, et sacri ministri, facta cum assistentibus reverentia, ascendunt ad thronum.

**Vestitio episcopi
et chori**

4. 2us caeremoniarius vestes episcopi clericis distribuit; deinde diaconus, adiuvante subdiacono, induet episcopum sacris vestibus more solito.

Cum episcopus sacris induitur vestibus, canonici de choro et presbyter assistens deponunt vestes chorales et accipiunt vestes ordinis sui.

¶ Si celebrat metropolita, crucifer vestes sacras induit in sacrario, ubi etiam ministri insignium induuntur pluvialibus, et ad loca sua revertuntur.

¶ Si celebrans gaudet usu sacri pallii, ultimus canonicus subdiaconus, vel alius subdiaconus cum tunica, a ministro de gremiali concomitatus, qui tres spinulas in lance portat, accepto sacro pallio ab altari, illud ad episcopum fert quo induitur a sacris ministris, modo descripto in CE II, 8, 20. Vide n. 166, 4, p. 151.

Episcopus induitur mitra a diacono, qui deinde cum subdiacono de throno descendit, et presbyter assistens et diaconi throni ad illum accedunt, una simul omnes reverentiam ad episcopum facientes. Presbyter assistens anulum digito episcopi adaptabit.

Sacri ministri pergunt ad scamnum, ubi accipiunt manipulos; subdiacono traditur evangelistarium cum manipulo episcopi.

**Introitus
ordinandorum**

5. Ordinandi omnes, incipientes a dignioribus, cum candelis ardentibus in manu dextra⁽¹⁾, et vestibus ordinis recipiendi in brachio sinistro, sine biretis, concomitante 2^o caeremoniario, presbyterium bini ingrediuntur cum

⁽¹⁾ Iuxta rubricam generalem de ordinibus conferendis, ordinandi se praesentare, debent in ecclesia cum *candelis in manu accensis*; iuxta rubricas uniuscuiusque ordinis ordinandi candelas habere debent, sed utrum accensas necne, tacent rubricae; pro traditione vero rubrica dicit *candelas accensas*.

Quaeri potest utrum ordinati candelas in manu habere debeant toto tempore ordinationis et quidem accensas ut docet MM (vol. 4, 37. 44); an vero tantum cum praesentantur, et ad offertorium? Respondet cl. De Herdt: "Postquam episcopo praesentati fuerint, candelae auferuntur... Impossibile enim foret, cum candelis in manibus sese prosternere, paramenta accipere, aliaque facere quae ad ordinationem concurrunt". *Praxis Pontificalis* vol. 3, n. 358. Sed deponuntur *finita* exhortatione, et non *dum* fit exhortatio sicut docet LVH; nam tempore exhortationis ordinandi intenti sint oportet verbis episcopi, et non caeremoniario candelas collecturo. Candelae tamen accensae sint ad ingressum et ad offertorium; cum vocantur ab archidiacono, sive collective sive per ordines, ordinandi candelas habeant sed extinctas, talis est enim praxis communior.

Nec approbari potest usus candelabrorum vel lignorum cum clavibus, ubi ordinandorum candelae reponuntur accensae toto tempore ordinationum. Id enim a rubricis PR nec praecipitur nec supponitur, neque ritui consonat. Vide notam I, p. 375, circa finem.

solitis genuflexionibus altari et episcopo, et ad loca sua in choro accedunt ⁽¹⁾.

Caeremoniariorum erit loca ordinandorum in presbyterio determinare iuxta gradum recipiendum; neo-presbyteri vero locentur prope altare ad maiorem commoditatem ritus.

Cum ad loca sua pervenerint, ordinandi candelas exstinguunt, sed manu dextera retinent.

**Accessus episcopi
ad altare**

6. Sacri ministri procedunt ad sinistram partem throni. Episcopus, accepto baculo, procedit ad altare medius inter presbyterum assistentem a dextris et diaconum a sinistris; subdiaconus it ad sinistram diaconi; diaconi assistentes paulo retro post episcopum; sequuntur clerici insignium. Chorus et ordinandi genuflectunt dum transit episcopus benedicens.

Coram altari, reddito baculo ministro et deposita mitra, pontifex profunde cruci se inclinat, ceteri omnes se inclinant vel genuflectunt prout iuris est, ordine quo venerunt.

Initium Missae

7. Missa incipitur ut in Caeremoniali habetur pro missa pontificali, nulla facta mutatione, et prosequitur, ad altare et ad thronum more solito usque ad *Kyrie, eleison* inclusive, sabbato *Sitientes*, vero, usque ad introitum inclusive.

¶ Advertant caeremoniarii ut canon pontificalis tempore ordinationum reponatur ad abacum neque remaneat apertus super altari, excepto tempore missae ad altare.

98

ART. II — DE CLERICIS INITIANDIS

**Iter episcopi ad
altare**

1. Acolythi faldistorium ponunt in medio suppedaneo priusquam episcopus ad altare accedat.

Finito cantu *Kyrie*, vel in sabbato *Sitientes* completo cantu introitus, episcopus cum mitra et baculo accedit ad altare medius inter diaconos assistentes, et praeunte presbytero assistente. Ministri insignium episcopum sequuntur.

⁽¹⁾ Iuxta PR, promovendi ad subdiaconatum tenere debent manipulum in manu sinistra; ita etiam praecipitur pro stola promovendorum ad diaconatum; practice hoc inconveniens est; propterea maluimus, cum MM et usu recepto, ordinandos manipulum et stolam super tunicam vel dalmaticam gestare, sinistra pectori apposita. Forsan quoad subdiaconos rubrica antiquum tradit usum de manipulo in sinistra manu ferendo. Vide, ex. gr., Rohault de Fleury, la Messe, tome VII, planche 576.

Cum episcopus ante altare pervenerit, diaconi assistentes recedunt retro post eum, sacri ministri se sistunt ad latera eius, presbyter assistens a dextris diaconi, et omnes simul reverentur crucem altaris; deinde diaconi assistentes ad scamnum vel ad loca sua in choro se conferunt.

Episcopus ascendit cum suis ministris ad suppedaneum, qui loca sua mutant, sedet ad ordinandos versus et baculum dimittit ⁽¹⁾. Presbyter assistens, sine reverentia, transit ad cornu evangelii, et se sistit in inferiori gradu.

Minister de libro, deposito missali, sumit pontificale, quod faciet toties quoties episcopus de throno ad altare accedit.

**Vocatio
et admonitio
generalis**

2. Archidiaconus dicit *Accedant omnes qui ordinandi sunt*; et omnes, cum candelis extinctis in manibus, accedunt versus altare passum unum vel plures, prout locus exigat, et flectunt genua.

¶ Si numerus ordinandorum sit magnus, archidiaconus dicit *Audiant omnes qui ordinandi sunt*, et ordinandi suis locis remanent, ibique flectunt genua.

Tunc archidiaconus legit admonitionem *Excellentissimus * ac reverendissimus in Christo Pater*, vel si ordinarius sit cardinalis *Eminentissimus et reverendissimus in Christo Pater* ut in initio PR habetur, ad quam sedebit chorus.

¶ Admonitio legitur semper in nomine illius qui iurisdictionem seu potestatem excommunicandi in loco habet, quicumque sit celebrans.

Lecto mandato, ordinandi omnes, ad signum caeremoniarum sui, assurgunt, et passum unum vel plures retro dant ad loca sua.

**Vocatio
clericandorum**

3. Archidiaconus dicit clara voce *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram* (D 2682, II), qui assurgunt cum superpelliceo in brachio sinistro, et candela extincta in manu dextra, et accedunt duos passus versus altare.

Tunc notarius, stans in infimo gradu a latere epistolae, legit nomina promovendorum, et quilibet cum vocatur respondet *Adsum*; accedit ante gradus altaris, facit genuflexionem una simul ad crucem et ad episcopum, et locum suum sumit ante episcopum. Genua flectunt omnes simul postquam venerit ultimus vocatus. Diagramma II.


Finita vocatione, notarius ad locum suum recedit, et presbyter assistens, facta cruci et episcopo reverentia, ad chorum redit, vel si maluerit ad scamnum.

(1) Regula est generalis ut "quoties (episcopus) a sede, vel faldistorio ad altare accedit, illud in medio osculatur". CE lib. I, 19, 6. Hoc autem in ordinationibus, ceterisque functionibus PR fieri non solet, cum faldistorium in suppedaneo locetur ante adventum episcopi ad altare.

* S. C. Caeremonialis 31 Dec. 1930, AAS 1931, p. 22. Vide EL, 1930, p. 116. Rationes nostras alibi explanabimus.

ORDINATIONES

1) • ADMONITIO GENERALIS ET CLERICORUM VOCATIO



(A) – CRUCIFERARIUS METROPOLITÆ

**Invitatio
ad orandum**

4. Ministri de libro et scotula se praesentant parum ad sinistram episcopi, qui assurgit cum mitra, et canit versum *Sit nomen Domini et Adiutorium nostrum*, quibus chorus respondet; deinde canit recto tono invitationem *Oremus, fratres carissimi*, et ea finita sedet; ministri de libro et scotula recedunt.

Tonsura

5. Minister de gremiali cum lance se praesentat ante episcopum qui, adiuvantibus sacris ministris, chirothecas et annulum deponit, sed annulum resumit, et recedit minister.

Diaconus gremiale linteum ponit super gremium episcopi et, adiuvante subdiacono, faldistorio aptat.

Acolythus 1us cum forficibus in lance se praesentat a dextris diaconi.

Cum Pontifex incipit deponere chirothecas, caeremoniarius ordinandorum accipit candelas tonsurandorum, qui assurgunt, et se sistunt unus post alium. 1mus tonsurandus, facta genuflexione in plano, ascendit et genua flectit in suppedaneo.

Episcopus, acceptis forficibus a diacono, capillos 1mi clerici tondet in quinque locis, videlicet: in fronte, in occipitio, super auriculam dexteram, deinde super sinistram, et ultimo in summitate capitis. Dum episcopus tondet capillos, initiandus dicit submissa voce 1 — *Dominus pars*, 2 — *hereditatis meae*, 3 — *et calicis mei*, 4 — *tu es qui restitues*, 5 — *hereditatem meam mihi* — quae quidem verba ipse episcopus suggerit tonsurando, iuxta acceptum morem, prout facit quinque caesuras. D 2682, III. Vide n. 180, 3.

Dum fit tonsura clericorum, acolythus 1us cum lance se sistit in gradu altaris, quo commodius fieri poterit, ad capillos in lance recipiendos.

Clericus assurgit, se vertit versus sinistram suam; descendit in planum, genuflexionem facit simul cum 2º, et ad locum suum revertitur, ubi exspectat stans; 2us, facta genuflexione cum 1º, ascendit ad suppedaneum, et flectit genua et sic fit usque ad ultimum.

Cum episcopus incipit tonsuram 1mi clerici cantores cantant antiphonam *Tu es, Domine* cum ps. 15 *Conserva me, Domine*, sine *Gloria*. Cantus finire debet cum episcopus totonderit capillos ultimi clerici; proinde cantores repetunt antiphonam post singulos versus psalmi si necesse sit, et moram facient inter versus, si numerus clericorum id exigat; et in fine repetunt antiphonam.

Omnibus tonsis, clericus cum lance se praesentat a dextris diaconi, qui accipit forfices quas in lance deponit, et recedit acolythus.

Diaconus gremiale a gremio episcopi aufert et tradit clerico de gremiali.

**Oratio ad
tonsuram
complendam**

6. *Ministri de libro et candela se praesentant, et episcopus, mitra deposita, surgit et canit orationem Praesta quaesumus super tonsuratos ante eum genuflexos; iterum sedet pontifex et induitur mitra, et recedunt ministri de libro et scotula.*

2.ª lotio manuum 7. *Familiares seu acolythi se praesentant coram episcopo pro manuum lotionem, et presbyter assistens, ad altare reversus, praesentat mantile.*

Cum ab altari discesserint ministri de lotionem, clericus de gremiali cum chirothecis in lance se praesentat, et eas induit denuo episcopus, adiuvantibus sacris ministris. Presbyter assistens, imposito annulo digito episcopi, ad locum suum revertitur.

Cantores, statim ac dicta fuerit oratio praecedens, cantabunt antiphonam *Hi accipient*, adiecto ps. 23 *Domini est terra*, cum *Gloria Patri* et repetitione antiphonae in fine. Ad *Gloria Patri* omnes caput profunde inclinant, praeter episcopum cum suis assistentibus cum intenti sunt lotioni manuum.

Vestitio

8. *Finita lotionem manuum et repetita antiphona, ministri de libro et scotula se praesentant; surgit episcopus, detecto capite, et versus ad altare dicit Oremus, sacris ministris suis locis remanentibus sed ad altare versis; Diaconus cantat Flectamus genua et Levate⁽¹⁾; se vertit iterum episcopus cum ministris ad neo-clericos et canit orationem Adesto, Domine praeparatoriam ad vestitionem, dextera illos benedicens, deinde sedet et accipit mitram, et recedunt ministri de libro et scotula.*

Clerici superpellicea explicata in duobus manibus accipiunt, in quo adiuvantur a caeremoniario suo et se sistunt alius post alium; deinde ascendunt ad episcopum eodem modo et ordine ac pro tonsura, qui eos superpelliceo induit, adiuvantibus caeremoniariis, dicens singulis *Induat te Dominus*, et ad loca sua revertuntur ordine servato post tonsuram et expectant stantes.

**Oratio ad
initiationem
complendam**

9. *Omnibus superpelliceis indutis, neo-clerici genua flectunt; ministri de libro et scotula se praesentant, et episcopus, dimissa mitra, surgit et canit orationem finalem Omnipotens... propitiare, ad tonsuram simul et vestitionem complendam.*

(1) Iuxta rubricam MR omittenda est invitatio ad genuflectendum in sabbato Pentecostes, est enim ritus paenitentialis, qui tempore paschali locum non habet. Iuxta PR tamen non videtur esse distinguendum. Habes proinde regulas diversas intra eandem caeremoniam, a SRC confirmatas. D 4164.

Allocutio

10. Sedet episcopus, accipit mitram, et dicit clara voce monitionem *Filii carissimi*; qua finita recedunt ministri de libro et scotula; et qui de libro, deposito pontificali, sumit missale, quod facit in fine omnium ordinum.

Dimissio

11. Archidiaconus, ad altare ad hoc reversus (non ascendens ad suppedaneum) dicit *Ad loca vestra*.

Neo-clerici surgunt, unico genu reverentur episcopum et crucem et, sine candelis, ad loca sua in choro revertuntur.

99

ART. III — CONTINUATIO MISSAE

**Iter episcopi
ad thronum**

1. Clericis ad loca sua reversis, episcopus, accepto baculo, medius inter suos ministros, descendit in planum ante altare et facit cruci reverentiam. Sacri ministri, post reverentiam, ad scamnum revertuntur; diaconi assistentes, qui prompte erunt retro post episcopum, facta simul cum illo reverentia, ipsi se adiungunt; pontifex medius inter diaconos assistentes ad thronum revertitur cum presbytero assistente ante eum; ministri insignium episcopum sequuntur.

**Cantus
1.mae collectae**

2. Episcopus, ad thronum reversus, sedet et dimittit baculum et mitram. Ministri de libro et candela se sistunt coram episcopo et presbyter assistens librum sumit.[†] Episcopus surgit et canit *Oremus*; diaconus assistens 1us *Flectamus genua* et *Levate*; episcopus cantat 1mam collectam; deinde sedet, et diaconus ei imponit mitram et gremiale dum presbyter assistens librum tradit ministro.

¶ In sabbato Pentecostes *Flectamus genua* hic et ubique in missa omittitur.

¶ Dum canitur collecta, caeremoniarius 2us legile nudum in medio choro ponit cum epistolario.

**Cantus 1.mae
lectionis**

3. Clericus qui cantare debet 1am lectionem, superpelliceo indutus, etiamsi gaudeat privilegio cappae, factis reverentiis ad crucem et ad episcopum, se sistit ad legile, et ad signum caeremoniarii incipit cantum. Episcopus auscultat silentio.

Cantor, finita lectione et facta genuflexione ad crucem, vadit ad thronum, et, postquam genuflexerit ad episcopum, ascendit ad deosculandam manum, et, iteratis reverentiis, ad locum suum revertitur.

¶ Legile amovebitur e medio choro ne ordinationem impediat.

¶ Si sit sabbatum *Sitientes* nulla datur oratio nec lectio hoc loco legenda, et episcopus ad thronum reversus, sedet, et deposita mitra et baculo, assurgit, recitat *Kyrie, eleison* cum suis assistantibus et exspectat sedens cum mitra, donec a schola seu a choro cantetur.

100

ART. IV — ORDINATIO OSTIARIORUM

Iter episcopi ad altare

1. Pontifex, dimisso gremiali et accepto baculo, assurgit et ad altare cum suis assistantibus se confert, ordine quo prius (II, 1) et sedet ad faldistorium, ubi dimittit baculum et iterum assumit gremiale ⁽¹⁾.

Appellatio

2. Archidiaconus in suppedaneo a dextris diaconi dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium ostiariorum*, qui omnes, cum candelis extinctis in manu dextera, procedunt duos passus versus altare.

Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet *Adsum*; deinde pergit in medium ante episcopum, facit genuflexionem simplicem, et ad locum suum, iuxta ordinem caeremoniarii, se confert. Cum ultimus locum suum sumpserit, omnes genua flectunt et recedit notarius.

Exhortatio

3. Ministri de libro et scotula se praesentant a sinistra episcopi, qui sedens admonet ordinandos dicens *Suscepturi, filii carissimi* etc. Finita monitione, caeremoniarii candelas de manu ordinandorum accipiunt, et seorsim reponunt.

Traditio clavium

4. Acolythus Ius dat diacono claves duas, quas episcopo tradit ⁽²⁾.

(1) De gremiali in ordinationibus tacent rubricae, excepto ubi de ordinatione unius ostiarii, sed principium est generale ut episcopus, pontificalibus vestibus indutus, accipiat gremiale quoties sedet, nisi sedeat ad momentum (CE I, 19, 2); proinde auctores docent gremiale adhiberi debere in ordinationibus. Ad rem cardinalis Bona "Gremiale... in gremio episcopi ponitur cum sedet et cum ordines confert." *Rerum Liturgicarum*, lib. I, cap. XXIV, § XV. Non tamen bene intelligitur cur MM facit episcopum gremiale dimittere cum accipit missale, calicem et alia instrumenta ab ordinandis tangenda; gremiale dimittit tamen pro ordinandorum vestitione quae cum eo fieri nequit. Facimus diaconum ministrantem gremiale ponere et auferre, iuxta regulam romanam pro missa pontificali ad faldistorium.

(2) Iuxta PR episcopus accipit de altari gladium et coronam regibus imponenda; ex altari etiam accipit pallium metropolitano tradendum; ex altari accipit diaconus librum evangeliorum. Est enim sollemnis traditio, quae non caret mysterio; nam ex altari, quod Christi figura est, eveniunt nobis omnia bona. Sed regula non est extendenda, nec a rubricis extenditur, ad omnia. Sic non praecipitur a PR ut instrumenta ordinandis, vel episcopis consecratis, seu abbatibus vel aliis tradenda, ponantur super altari priusquam tradantur, sicut docet LVH.

Ordinandi omnes surgunt et lineas duas efformant; duo primi, facta genuflexione, ascendunt ad altare et genua flectunt in suppedaneo; alius post alium manu dextera tangunt claves, sinistra pectori apposita, dum episcopus dicit *Sic agite* etc.; deinde surgunt, qui a sinistris ad sinistram se vertit et qui a dextris ad dexteram, et, facta in plano genuflexione, ad loca sua revertuntur, et ascendunt alii duo.

¶ Cum duo primi assurgunt, proximi duo genua flectunt in plano et ascendunt, et cum duo primi genuflectunt in plano, alii duo simul cum ipsis genuflectunt ad altare ascensuri, et sic deinceps usque ad ultimos; si fuerint numero impari, tres ultimi simul accedunt; quae quidem regula ab ordinibus subsequentibus observabitur.

Dum traduntur claves, ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra pontificis et, finita traditione, recedunt.

Exercitium ordinis

5. Ordinati bini, facta genuflexione ad episcopum et ad altare simul, duce archidiacono, procedunt ad ostium ecclesiae, ubi archidiaconus, et non alius (D 1583, IV), facit singulos ostium claudere et aperire, ac deinde signum pulsare.

¶ Sufficit ianuam claudere et aperire, nec necesse est clavi obserare (D 2682, V); qualiscumque ianua ecclesiae ad id usui esse potest; sufficit etiam campanulam portatilem sonare, vel campanulam ianae sacrarii, et quidem unam tantum. D 3315, II, III, IV.

Benedictio

6. Omnes ad loca sua ante pontificem revertuntur, facientes bini genuflexionem quum adveniunt; quibus genua flectentibus, ministri de libro et scotula se praesentant, surgit pontifex cum mitra, gremiali deposito, et cantat invocationem *Deum Patrem omnipotentem*, dextera ostiarios benedicens.

Sedet pontifex, deponit mitram, surgit, et, conversus ad altare, canit *Oremus*, ministris sacris ad altare conversis sed in suis locis permanentibus; diaconus subiungit *Flectamus genua* et *Levate*. Episcopus cum suis ministris ad ordinandos genuflexos se vertit iterum et canit orationem *Domine sancte*, denuo eos benedicens, et sedet, accepta mitra, et recedunt ministri de libro et scotula.

Dimissio

7. Archidiaconus ante altare dicit *Ad loca vestra* et ordinati genuflectentes, ad loca sua recedunt.

¶ In sabbato *Sitientes* immediate proceditur ad ordinationem lectorum, exorcistarum et acolythorum.

101

ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus accipit baculum et descendit in planum cum suis ministris. Diaconi assistentes et ministri insignium se sistunt suis locis retro post episcopum, omnes simul faciunt genuflexionem seu reverentiam ad crucem; episcopus cum suis assistentibus et ministris ad thronum se confert, ordine quo venit, ibique sedet et accipit gremiale; sacri ministri vero ibunt ad scamnum.

Chorus cantat graduale Ium; in sabbato Pentecostes Ium *Alleluia* cum suo versu, quod submissa voce legitur ab episcopo, qui deinde, uti prius, canit 2am collectam, presbytero assistente librum sustinente. Cantabitur lectio 2a, quam silentio auscultat episcopus, et omnia fiunt ut in art. III habetur, n. 99.

102

ART. VI — ORDINATIO LECTORUM

**Iter episcopi ad
altare**

1. Finita 2a lectione, episcopus, deposito gremiali et accepto baculo, ibit denuo ad altare ordine quo prius, n. 98, 1.

Appellatio

2. Postquam sederit episcopus, dimisso baculo et accepto gremiali, archidiaconus in suppedaneo dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium lectorum*, qui omnes duos passus dabunt versus altare.

Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet *Adsum*, et pergit, cum candela extincta in manu, in medium ante episcopum, et, facta genuflexione, ad locum suum se confert. Finita appellatione, presbyter assistens et notarius recedunt ad loca sua, et ordinandi flectunt genua.

¶ Si duo primi ordines minores conferuntur eodem die iisdem clericis, notarius secundo dicit tantum *Idem*, et omnes bini ad altare accedunt, genuflectunt, et ad loca sua se conferunt. Quod servabitur pro exorcistis qui eodem die ordinantur acolythi.

¶ Si ordinatio fit in sabbato *Sitientes* et duo ordines minores eodem die recipiuntur, ostiarii, dicto ab archidiacono *Ad loca vestra*, recedunt duos passus, et accipiunt candelas, cum quibus iterum coram episcopo se sistunt, et vocati ab archidiacono, accedunt ubi erant prius. Sic faciunt etiam exorcistae qui debent immediate recipere acolythatum.

Exhortatio

3. Ministri de libro et candela se praesentant et episcopus admonet ordinandos dicens *Electi, filii carissimi* etc.

Finita exhortatione, caeremoniarii candelas ordinandorum accipiunt, et seorsim reponunt.

Traditio libri

4. Caeremoniarius lus epistolarium ponit super genua episcopi, qui illud manibus tenet ⁽¹⁾. Ordinandi assurgunt, et se sistunt in duobus ordinibus; duo primi, facta genuflexione, ascendunt ad altare et genua flectunt in suppedaneo.

Ordinandi manu dextra, sinistra pectori apposita, tangunt librum, dum episcopus dicit *Accipite et estote* etc.; deinde descendunt, et ascendunt alii duo, usque ad ultimos, servato modo tradito pro ostiariis, n. 100, 4.

Benedictio

5. Omnibus ordinatis, neo-lectores genuflectunt; pontifex, deposito gremiali, surgit cum mitra et canit super illos invocationem *Oremus, fratres carissimi*, dextera illos benedicens. Deinde sedet, deponit mitram, vertit se ad altare cum suis ministris et cantat *Oremus*; diaconus subiungit *Flectamus genua* et *Levate*; et episcopus, versus ad ordinatos, canit benedictionem *Domine sancte* etc., dextera iterum eos benedicens; deinde sedet et accipit mitram, et ministri de libro et scotula discedunt.

Dimissio

6. Archidiaconus, tempestive a 2^o caeremoniario admonitus et ante altare reversus, dimittit lectores dicens *Ad loca vestra*. Ordinati genuflectunt ad crucem et ad episcopum, et ad loca sua in choro se conferunt.

103

ART. VII — CONTINUATIO MISSAE

Pontifex, accepto baculo, assurgit et, cum suis assistantibus et ministris, ad thronum revertitur, eodem ordine ac prius.

A choro cantatur graduale 2um, in sabbato Pentecostes 2um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo, qui deinde canit 3am collectam; lectio 3^a cantabitur ab uno e lectoribus nuper ordinatis, et ab episcopo auscultatur silentio; cetera omnia fiunt ut post initiationem clericorum, n. 99.

104

ART. VIII — ORDINATIO EXORCISTARUM

Omnia fiunt admodum ut in ordinatione lectorum, n. 102. Archidiaconus dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium exorcistarum*. Exhortatio, traditio instrumenti, invocatio, et benedictio, fiunt ut in PR pro exorcistis.

(1) Instrumenta ab ordinandis tangenda commodius ponuntur in manibus vel super genua episcopi et accipiuntur a 1^{mo} caeremoniario, qui se sistit in plano vel in gradu a latere epistolae; cum abacus ordinandorum ponitur a latere epistolae, et diaconus stat in suppedaneo a latere evangelii, in praxi difficile est primo instrumenta diacono tradere, ut ipse ea episcopo tradat. Si vero instrumenta, uti missale et alia, tradantur diacono, ut ipse ea episcopo praesentet (quando commode fieri potest) diaconus ea minime osculetur, cum tradit vel accipit.

105

ART. IX — CONTINUATIO MISSAE

Pontifex, accepto baculo, assurgit, et cum suis assistantibus et ministris, ad thronum revertitur eodem ordine quo prius.

A choro cantatur graduale 3um, in sabbato Pentecostes 3um *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo; qui deinde canit 4am collectam; lectio 4^a cantabitur ab uno e lectoribus nuper ordinatis, episcopo silentio auscultante; cetera omnia fiunt ut post initiationem clericorum, n. 99.

106

ART. X — ORDINATIO ACOLYTHORUM

Iter episcopi ad altare

1. Episcopus iterum ibit ad altare, solito more, et postquam sederit, dimittit baculum et accipit gremiale.

Appellatio

2. Archidiaconus in suppedaneo dicit *Accedant qui ordinandi sunt ad officium acolythorum*, qui omnes accedunt duos passus, sicut fecerunt ostiarii, cum candelis extinctis in manu dextra.

Notarius singulos nominatim vocat et quilibet respondet *Adsum*, et accedit sicut dictum fuit pro ostiariis, et, finita appellatione, archidiaconus et notarius recedunt.

Instructio

3. Episcopus ad ordinandos genuflexos habebit instructionem *Suscepturi, filii carissimi* etc., qua finita, caeremoniarius ordinandorum candelas eorum accipit et seorsim reponit.

**Traditio
ceroferarii et
ampullae**

4. Caeremoniarius Ius candelabrum cum candela ponit super genua episcopi, quod sustinebit episcopus ipse.

Ordinandi omnes assurgunt, et bini, facta genuflexione, ad suppedaneum ascendunt, ubi flectunt genua, sicut fecerunt ostiarii.

Episcopus tradit candelabrum cum cereo ordinandis dicens *Accipite ceroferarium* etc. quae cum dicit, ordinandi, unus deinde alius, tota manu dextera ceroferarium circa basim contingant, sinistra pectori apposita, et respondent episcopo *Amen* ⁽¹⁾.

(1) Servent lectores rationem tangendi instrumenta in hac expositione traditam.

1) Quoad tactum seu potius traditionem clavium pro ostiariatu, ceroferarii pro acolythatu, calicis et patenae pro subdiaconatu, licet formula traditionis dicatur in plurali, tamen non omnes simul, seu bini vel terni, instrumentum tangunt, sed alius post alium,

Descendunt ordinati et ascendunt alii duo, ordine statuto et sic deinceps, episcopo toties quoties repetente formulam traditionis.

Duo primi se sistunt statim post duos ultimos, et sic alii faciunt propter ritum sequentem.

Finita traditione ceroferarii, caeremoniarius lus illud e manibus episcopi accipit, et tradit urceolos vacuos in lance.

Duo primi acolythi, facta in plano genuflexione, ad suppedaneum accedunt et genua flectunt, ceteri omnes bini eodem tempore genuflectunt suis locis, et dum duo primi tangunt urceolos: Imus unum, alter alium, episcopus dicit, altiore quadam voce, omnibus simul *Accipite urceolum* etc. et omnes simul respondent *Amen*, et recedunt ministri de libro et scotula ⁽¹⁻²⁾.

dum episcopus recitat formulam. Rubrica enim dicit clarissime *successive*. In praxi claves et calix nequeunt a pluribus simul recipi.

2) Quoad traditionem libri lectoribus, exorcistis, subdiaconis et diaconis, duo vel tres tangunt librum, id est manum dexteram apertam super cooperturam libri ponunt. Rubrica pro subdiaconis, quae valet pro aliis, dicit clare *simul tangentibus*. Tactus foliarum, a quibusdam caeremoniariis requisitus, nec a rubricis praecipitur, nec ullo modo requiritur.

3) Quoad subdiaconos, manu dextera tangere debent cuppam calicis circa basim, quasi illum arripientes. Rubrica enim dicit *tradit calicem cum patena superposita*; tactus patenae non praecipitur: patena enim res est secundaria relate ad calicem, et recipitur per modum unius cum calice. In figuris antiquis subdiaconi calicem circa basim tangentes depinguntur. Ed. Venetiis 1520 et 1572, *Pontifical services*, Alcuin Club, vol. III, p. 19.

4) Eadem ratione dicimus acolythum tangere debere ceroferarium circa basim, et non cereum. Nam, quando acolythus portat ceroferarium, manum cereo non apponit. In figuris antiquorum pontificalium, acolythus manum circa basim ceroferarii ponens figuratur. Hoc clarissime apparet in figuris apposis pontificalibus Venetiis editis annis 1520 et 1572, o. c. vol. III, p. 17; et etiam in editione Romana Benedicti XIV, aliisque quamplurimis.

5) Relate ad presbyteros, quaestio maioris momenti est, nam solent caeremoniarii exigere a novis presbyteris veluti exercitium artis magicae, videlicet ut, manibus totaliter ligatis, tangant una simul, non solum calicem et patenam, sed hostiam superpositam! Tactus hostiae non praecipitur, sicut nec immersio digitorum in vinum. Rubrica facit presbyterum accipere patenam inter *indices et medios digitos*, ita ut cum reliquis digitis cuppam calicis tangat; quod impossibile est cum manibus per totum ligatis. Si rubricae voluissent ut sacerdotes calicem tangerent ligatis manibus, debuerunt id dicere, sicut dicunt de baculo episcopis tradendo; praeterea in antiquis figuris PR neo sacerdotes cum manibus *non ligatis* calicem et patenam accipere apparet; inter alias, editiones Venetiis editae annis 1520 et 1572, apud Alcuin Club, *Pontifical services*, vol. III, p. 27; ed. Pii IV, anni 1561; ed. Clementina, anni 1595; praesertim ed. Benedicti XIV, Romae 1818, post typicam. Rubrica appendicis de ordinatione unius recens est et minoris auctoritatis. De modo tangendi instrumenta optime scripserunt I. Hanssens S. I. in *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, 1933, p. 173, et Ivus Zeiger S. I. in *Ephemeridibus liturgicis*, 1934, p. 255.

(1) In acolythorum ordinatione episcopus ordinandis tradit *urceolum vacuum*; urceolus hodiernus tamen est res nimis parva, et solent tradi urceoli duo vacui in lance sicut hodie habentur, nam ad modum unius loquitur rubrica, dicit enim formula traditionis *ad suggerendum vinum et aquam*, proinde duo. Ita uterque urceolus a singulis tangi potest; vel qui a dextris tangat unum, qui ad sinistram alterum. Ratio discrepantiae

Acolythi omnes assurgunt, duo primi descendunt, et, facta genuflexione in plano cum aliis duobus, ad loca sua recedunt; alii duo ascendunt, tangunt urceolos, pro se quisque manu dextera, sinistra pectori apposita, quos sustinet episcopus, et ad loca sua recedunt sicut primi, et sic deinceps usque ad ultimos. Et cum omnes urceolos tetigerint, caeremoniarius lus eos accipit, et tradit acolytho 1^o de abaco.

Benedictio

5. Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum. Ordinati simul flectunt genua et episcopus, deposito gremiali, surgit, et canit invocationem *Deum Patrem omnipotentem* dextra acolythos benedicens.

Episcopus sedet, mitram dimittit, surgit et, versus ad altare, canit *Oremus*, et diaconus *Flectamus genua* et *Levate*, ritu descripto pro ostiariis. Dein, versus ad ordinatos, canit collectas tres PR hoc loco, ter acolythos benedicens; sedet iterum et accipit mitram; ministri de libro et scotula recedunt.

Dimissio

6. Archidiaconus, ante altare reversus, dicit *Ad loca vestra*; ordinati omnes, facta genuflexione, ad loca sua revertuntur solito more.

107

ART. XI — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus, accepto baculo, revertitur ad thronum cum suis assistantibus sicut fecit post ceteros ordines.

Cantatur graduale quod venit post 4am lectionem; post *Flectamus genua* et *Levate* episcopus cantat 5am collectam. Lector e noviter ordinatis cantat 5am lectionem quam auscultat episcopus; cetera omnia fiunt ut post initiatos clericos, n. 99.

¶ In sabbato *Sitientes* episcopus, praemisso *Dominus vobiscum*, cantat orationem missae sub unica conclusione cum oratione pro ordinandis, et omissa invitatione ad genuflectendum.

inter rubricam et textum ex eo occurrit quod in antiquis libris pontificalibus legebatur *accipe urceolum ad suggerendum vinum*; postea (saeculo XII) additum fuit *et aquam*, nulla facta in rubrica modificatione. Leroquais, tome I, p. LI. Sed frequenter urceoli duo tradebantur, ibidem, *planche* 87. Andrieu, tome I, p. 127. Vide rubricam in Pont. Leofric, Surtees So. vol. 61, p. 310.

(²) In rubricis PR hoc loco, apparet maioris momenti esse traditionem ceroferarii quam urceoli, nam pro isto pontifex dicit formulam *communiter omnibus*, quod certe significat semel tantum. Sed etiamsi tum candelabrum tum urceolus uti materia ordinis habenda sint, sicut docet Card. Gasparri (de Ordinatione, n. 1025), et quem sequitur Many (de Ordinatione 286), unica recitatio formulae et successivus tactus sufficit; sufficeret etiam pro aliis ordinibus; pro ipsis presbyteris, primo successive habetur impositio manuum, deinde semel tantum verborum prolatio.

¶ In sabbato Pentecostes loco gradualis cantatur 4um *Alleluia* cum versu *Veni, Sancte Spiritus* ante 5am collectam; chorus versum ne incipiat priusquam episcopus, ad thronum reversus, mitra et pileolo depositis, genua flexerit, omnibus genuflectentibus. Cetera fiunt de more.

108

ART. XII — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Iter episcopi ad altare

1. Finita 5^a lectione, in sabbato *Sitientes* post collectas missae et accepta mitra, episcopus, deposito gremiali et assumpto baculo, iterum de throno descendit, et pergit ad altare, medius inter suos assistentes, et sedet in faldistorio, ubi reddit baculum et accipit gremiale.

Vocatio

2. Archidiaconus in suppedaneo dicit *Accedant qui ordinandi sunt subdiaconi*, qui omnes duos passus versus altare dabunt, cum candelis exstinctis in manu dextra.

Notarius legit nomina promovendorum, adiungens titulum sustentationis, nimirum N. ad titulum beneficii; vel eo deficiente, ad titulum patrimonii aut pensionis. CIC 979 § 1.

Ordinandi respondent singulariter *Adsum*, et, accedentes ante pontificem cui faciunt genuflexionem, consistunt in loco a caeremoniarum magistro designato, ab episcopo tres quatuorve passus, stantes omnes.

¶ Si adsint regulares, notarius dicit N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis; vel mensae communis pro alumnis congregationum votorum simplicium.

**Admonitio
et
passus**

3. Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt et episcopus exhortatur subdiaconos stantes, verbis *Filii dilectissimi*, qua finita recedunt ministri de libro et scotula.

Finita exhortatione, omnes simul passum unum dant versus episcopum et stant; deinde candelas caeremoniario suo tradunt.

¶ Si omnes ordinandi sint professi votorum solemnium, exhortatio supra cum passu omittitur, et promovendi, facta genuflexione episcopo et cruci prout vocantur, loca sua sumunt a latere evangelii.

Prostratio

4. Archidiaconus adhuc in suppedaneo vocat ceteros ordinandos dicens *Accedant qui ordinandi sunt diaconi et presbyteri*, qui omnes accedunt simul, cum sacris vestibus super brachio

sinistro sed sine candelis ⁽¹⁾, et bini genuflectunt una simul ad episcopum et ad crucem.

Presbyterandi locum sumunt in medio presbyterio ante pontificem, cum diaconandis a cornu epistolae et subdiaconandis a cornu evangelii, meliori quo fieri poterit modo, pro prostratione, iuxta ordinationem caeremoniarii. D 1665, IV. Archidiaconus ad locum suum in choro redit.

Caeremoniarius ordinandorum facit ordinandos in sacris primo genuflectere utroque genu, *deinde* procumbere penitus pronos super tapeta presbyterii.

¶ Pro prostratione ordinandorum adhiberi poterunt pulvinaria lanea parva, subter brachiis et capitibus ab acolythis locanda, si talis vigeat consuetudo.

Diaconus gremiale e genibus episcopi tollit, qui assurgit. Caeremoniarius lus pulvinar ante faldistorium locat, et super ipsum genua flectit episcopus cum mitra; ceteri omnes eius exemplum sequuntur in suis locis; sacri ministri loca sua mutant et genua flectunt a lateribus episcopi. Caeremoniarius pontificale apertum ponit super faldistorium; ministri de libro et scotula remanent ad abacum.

Litaniae

5. Cantores duo, flexis genibus in medio presbyterio retro post ordinandos in sacris, cantabunt litanias sine duplicatione, omnibus simul respondentibus. Diagramma III.

¶ Si multi essent ordinandi in sacris, cantores duo genua flecterent a latere epistolae. Si non utuntur libris manualibus, ante eos locabitur scabellum unum cum pontificali pro litiis. CE. II, 27, 19.

Cantato *Ut omnibus fidelibus defunctis*, ministri de libro et scotula ante faldistorium in plano se sistunt, et caeremoniarius lus pontificale librigeno tradit.

Episcopus, solus cum sacris ministris, assurgit et ad ordinandos se vertit, mutantibus loca sua ministris sacris; ita versus, accepto prius baculo, cantat praeses benedictiones tres super ordinandos, in eodem litaniarum tono, dextra illos benedicens, ut in pontificali habetur. Post tertiam benedictionem ministri de libro et scotula recedunt, et caeremoniarius pontificale super faldistorium iterum ponit. Genua flectit episcopus, reddito baculo, sacri ministri, mutatis locis, genua flectunt ubi prius, et a cantoribus complebitur litaniarum cantus.


Finitis litiis, recedunt cantores et assurgit episcopus, surgentibus omnibus. Caeremoniarius lus amovebit pulvinar episcopi et pontificale, et acolythi pulvinaria ordinandorum, si adhibita fuerunt.

Episcopus sedet in faldistorio et accipit gremiale.

(1) Iuxta rubricam PR, ordinandi se praesentant ad litanias cum candelis in manu dextera. In praxi hoc commode fieri nequit, nec utilitatem praesefert. Ita etiam censet LVH.


ORDINATIONES

2) • AD LITANIAS



ORDINATIONES

3) • TRADITIO CALICIS SUBDIACONIS



Archidiaconus, ad altare reversus, in infimo gradu dicit *Recedant in partem qui ordinandi sunt diaconi et presbyteri*, qui omnes bini ad episcopum et crucem simul genuflectunt et ad loca sua in choro redeunt; archidiaconus vero ad altare remanet.

Exhortatio

6. Subdiaconandi locum sumunt ante episcopum in forma coronae, vel in ordinibus si sint multi, sine tamen candelis, et genuflectunt. Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum qui dicit clara voce exhortationem *Adepturi, filii dilectissimi* etc., in cuius fine ordinandi respondent *Amen*.

Transmissio calicis et patenae

7. Finita exhortatione, caeremoniarius lus calicem vacuum cum sua patena episcopo dat et clericus de ampullis, cum ampullis cum vino et aqua, super lancem cum manutergio, transit ad latus evangelii, se sistens a dextris archidiaconi, cui ampullas tradit, et recedit in planum.

Ordinandi omnes surgunt, bini in plano genuflectunt, ad altare ascendunt, et, nixi genibus in suppedaneo, manu dextera, sinistra pectori apposita, pateram calicis circa nodum (non vero patenam) unus post alium tangunt seu apprehendunt, pontifice dicente *Videte cuius ministerium* etc.

Duo primi subdiaconi, postquam calicem tetigerint, assurgunt et, non descendentes, pergunt ad latus evangelii, ante archidiaconum cum ampullis, quas unus post alium manu dextra tangunt, deinde descendunt, et ad loca sua se conferunt, ibique stant; alii omnes faciunt similiter; si vero sint numero impari, ultimi tres insimul ascendunt. Diagramma IV.

Caeremoniarius lus calicem cum patena e manibus episcopi accipit, et tradit 1º acolytho, ad abacum reportandum.

Postquam omnes urceolos tetigerint, archidiaconus, redditis ampullis clerico, ad locum suum in choro se confert et subdiaconi se sistunt nixi genibus.

Benedictio

8. Episcopus, deposito gremiali, surgit, et cantat super subdiaconos genuflexos invocationem *Oremus Deum ac Dominum* etc., dextera illos benedicens. Denuo sedet, et, deposita mitra, assurgit, se vertit ad altare cum suis ministris, et cantat *Oremus*, diaconus vero *Flectamus genua* et *Levate*, et iterum, se vertens ad ordinandos cum sacris ministris, cantat orationem *Domine sancte* etc., dextera electos benedicens.

Vestitio

9. Episcopus sedet in faldistorio et mitram accipit. Caeremoniarii se sistunt hinc inde in primo gradu altaris, ut episcopum adiuvent in vestitione subdiaconorum (¹).

(¹) Sacri ministri, stantes in suppedaneo, nequeunt convenienter adiuvere episcopum in vestitione ordinandorum, qui sunt genuflexi, praesertim si, propter exiguitatem suppedanei, flectere genua debeant in superiori gradu; propterea facimus caeremoniarios hinc inde stantes episcopum in vestitionibus adiuvere.

Assurgunt subdiaconi et se sistunt unus post alium, et prout accedunt tunicas et manipulos caeremoniariis dant, qui manipulos tradunt diacono et tunicas explicant.

Primus in ordine, facta genuflexione in plano, ascendit ad altare, et episcopus imponit amictum super caput eius dicens *Accipe amictum* etc. ter illum benedicens; subdiaconus respondet *Amen*, et statim amictum super scapulas dimittit caeremoniarius Ius. D 2956, II.

Deinde, accipiens manipulum a diacono ministrante, episcopus illum imponit sinistro brachio subdiaconi, postquam ipse illum osculatus sit, dicens *Accipe manipulum* etc., ter illum benedicens; subdiaconus respondet *Amen*.

Deinde caeremoniarii tunicam explicatam episcopo tradunt, sacris ministris manicas vestis tenentibus, qui subdiaconum induit dicens *Tunica iucunditatis* etc., ter illum benedicens; ordinatus respondet *Amen*, surgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, et ad locum suum se confert, ubi exspectat stans ⁽¹⁾.

¶ Si unica habeatur tunica, episcopus induit primum in ordine usque ad scapulas et statim exuit, ut ceteris inservire possit, et sic facit usque ad ultimum; ultimus eam totaliter induit et sic epistolam cantat.

¶ In ordinatione monachorum seu fratrum amictus imponitur super caputium, quod amovetur a capite recepta tunica tantum.

Traditio epistolarii

10. Caeremoniarius Ius super genua episcopi ponit epistolarium, qui illud manibus tenet. Ordinati se sistunt in duabus lineis ante episcopum, et bini, facta genuflexione, ad altare ascendentes et ante episcopum genua flectentes, epistolarium tangunt, dicente episcopo *Accipite librum epistolarum* etc., et ter illos benedicente, et ipsi respondent *Amen*, et descendunt in planum, qui a dextris a dextris, qui a sinistris a sinistris, et, facta genuflexione cum aliis duobus, ad loca sua se conferunt; si sint numero impari tres ultimi insimul ascendunt.

Finita traditione epistolarii, ministri de libro et scotula recedunt.

Dimissio

11. Archidiaconus, ad altare a caeremoniario 2^o vocatus, dicit *Ad loca vestra*, et ordinati, facta genuflexione, ad loca sua in choro se conferunt.

(1) Vestitio subdiaconi est ritus recentior, et posita fuit, una cum traditione epistolarii, in fine ordinationis. Congruentius ceterorum ordinum collationi esset, ordinationem subdiaconi benedictione potius quam vestitione claudere. Vide Leroquais tome I, p. 409.

Iter episcopi ad thronum 1. Episcopus, assumpto baculo, redit ad thronum cum suis ministris, sicut fecit prius, ubi reddit baculum et accipit gremiale.

Continuatio missae 2. A choro cantatur canticum Danielis, quod submissa voce legitur ab episcopo.

Finito hymno, surgit episcopus, gremiali et mitra depositis, et, cantato *Dominus vobiscum* et omisso *Flectamus genua*, cantat orationem missae, sub unica conclusione cum alia pro ordinandis.

¶ In sabbato *Sitientes*, omisso cantico Danielis, immediate proceditur ad cantum epistolae ut infra.

¶ In sabbato Pentecostes, loco cantici Danielis, cantatur *5um Alleluia* cum suo versu, quod legitur ab episcopo, quo finito cantatur *Gloria in excelsis*. Deinde, dicto *Pax vobis*, cantat pontifex collectas ut supra.

Epistola 3. Episcopus, finitis orationibus, sedet, et, acceptis mitra et gremiali, auscultat silentio lectionem epistolae, stantibus assistentibus throni.

Caeremoniarius 2us, dum canitur ultima oratio, invitabit unum e subdiaconis neo-ordinatis ad cantandam epistolam, tunica indutum, vel unicum, si unus tantum ordinatus fuit, qui in fine osculatur manum episcopi, ritu usitato. D 3368, V ⁽¹⁾.

Dum cantatur epistola ceteri subdiaconi noviter ordinati sedebunt, quoniam chori sunt participes.

¶ Si nullus ordinatus fuit subdiaconus, epistola cantabitur a subdiacono missae.

Iter episcopi ad altare 1 Finita epistola, episcopus, dimisso gremiali et accepto baculo, ordine quo prius, pergit ad altare et sedet in faldistorio, ubi, dimisso baculo, iterum accipit gremiale.

⁽¹⁾ Iuxta PR, tum in 1^a parte, tum in appendice, epistola et evangelium cani (seu dici) debent a modo ordinatis; nescitur cur dicat MM cani debere *vel* ab ipsis, *vel* a ministris altaris; talis optio nullo modo a rubricis conceditur. Agitur enim de vetusto Ecclesiae usu. Andrieu, tome III, p. 358 et 363. Nec distinguit rubrica inter unum vel plures ordinatos; proinde si unus tantum subdiaconus vel diaconus ordinatur, ab illo cantatur epistola vel evangelium. Distinctio a SRC proposita (D 2179, III) cum

Vocatio

2. Archidiaconus in suppedaneo dicit clara voce *Accedant qui ordinandi sunt ad diaconatum*, qui omnes accedunt duos passus versus altare.

Notarius singulos ordinandos vocat, nulla facta mentione de titulo. Singuli respondent *Adsum*, et ante altare pergunt prout nominantur, cum dalmatica et stola super brachium sinistrum et candela extincta in manu dextra, et una simul cruci et episcopo conficiunt genuflexionem, et ad loca sua se conferunt, et recedit notarius.

Caeremoniarius ordinandorum disponit eos in semicirculo ante pontificem, vel si sint multi in lineis diversis.

Postulatio

3. Ordinandi omnes simul genuflectunt; ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra episcopi; et archidiaconus dicit clara voce *Excellentissime ac reverendissime Pater*, vel si celebrat cardinalis *Eminentissime ac reverendissime Pater* etc. *

Pontifex interrogat archidiaconum dicens *Scis illos dignos esse?*

Respondet archidiaconus *Quantum humana fragilitas* etc.

Et Pontifex dicit *Deo gratias*.

**Consultatio
et electio**

4. Episcopus, adhuc sedens cum mitra, dicit clara voce sine cantu formam electionis *Auxiliante Domino* ad clerum et ad populum; qua finita archidiaconus ad locum suum in choro redit.

Exhortatio

5. Pontifex, facta aliqua mora, legit exhortationem ad electos *Promovendi, filii dilectissimi*; qua finita, ordinandi respondent *Amen* et caeremoniarius candelas eorum recipit, et seorsim reponit.

¶ Si ordinatio subdiaconorum habita non fuit, hoc loco archidiaconus, qui ad altare remansit, dicit *Accedant, qui ordinandi sunt presbyteri*, et omnes accedunt in medium presbyterium, sine candelis, sed cum casulis super brachium sinistrum, et genuflectunt bini episcopo et cruci. Caeremoniarius ordinandorum facit diaconandos se prosternere in cornu evangelii et presbyterandos in cornu epistolae, et recedit archidiaconus. Cantantur litaniae et omnia fiunt ut in n. 108, 4, 5. Finitis litiis surgunt omnes, et archidiaconus, ad altare reversus, dicit *Recedant qui ordinandi sunt presbyteri*, qui ad loca sua, facta genuflexione, revertuntur et diaconandi genua flectunt ante episcopum. Archidiaconus redit ad locum suum in choro.

rubricis appendicis non componitur; sic enim se habent *Diaconus... si officium fieret in cantu, concinet evangelium*. Et ...a subdiacono novo cantatur epistola. Sequimur rubricas appendicis, sunt enim sensui hominum communi congruentiores, et citato decreto posteriores.

* S. C. Caeremonialis 31-XII-30. AAS 1931, p. 22.

**Invitatio
ad orandum**

6. Episcopus, adhuc sedens cum mitra, diaconandis flexis genibus ante ipsum permanentibus, clara sed altiore voce sine cantu dicit *Commune votum*, clerum et populum iterum alloquens, et diaconandos dextera benedicens; in fine assistentes respondent *Amen*.

**Invocatio cum
praefatione**

7. Episcopus, amoto gremiali, surgit, et, versus ad ordinandos, canit recto tono *Oremus, fratres carissimi* usque ad *regnat Deus*, dextera electos benedicens. Deinde sedet, et, deposita mitra, iterum surgit, et, elevans vocem in tono feriali praefationis, extensisque manibus ante pectus, canit praefationem ordinationis usque ad verba... *quae sunt agenda concedere*.

**Impositio manus
(materia ordinationis)**

8. Facta interruptione cantus praefationis, ordinandi assurgunt, et se sistunt unus post alium. Primus in ordine, facta genuflexione in plano, ad suppedaneum ascendit ibique genuflectit. Episcopus, adhuc stans, sinistra pectori apposita, imponit manum dextram extensam, ipse solus, super caput ordinandi physice tangendo, non deponens chirothecas, submissa clara tamen voce, sine cantu simul dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc. ⁽¹⁾. Electus surgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, genuflectit cum 3^o qui ascendere debet, et ad locum suum revertitur, ubi exspectat stans; 2^{us} in plano genuflectit cum 1^{us} assurgit, et ascendit; et sic deinceps usque ad ultimum; et singulis episcopus manum dexteram imponit et formulam repetit.

**Forma
sacramentalis**

9. Ordinandis iterum in suis locis genuflexis, Episcopus, dextera versus illos extensa et sinistra pectori apposita, dicit verba formae sacramentalis recto tono et elata voce sine cantu:

Emitte in eos, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roborentur.

⁽¹⁾ Exoptandum est ut in futura recensione PR episcopus mitram habeat pro impositione manus super diaconos sicut facit quando presbyteros et episcopos ordinat, evadit enim solemnior. Antiquitus Romae impositio manus fiebat ante orationem *Commune votum* et non intra praefationem. Andrieu, tome I, p. 133.

Exoptare etiam liceat ut verba imperativa *Accipe Spiritum Sanctum* simpliciter deleantur, et manus impositio fiat sub silentio uti in ordinatione presbyteri. Si materia est manus impositio et forma verba quae statim leguntur, huiusmodi interpollatio recentioris aetatis non est necessaria, immo rerum ordinem invertit. Insuper verba essentialia invocant Spiritum Sanctum cum oratione ad Deum, omissa forma imperativa, quae in antiquis codicibus deest omnino, nec cum stylo leoniano concordat. Vide notam 2, p. 210 ubi de consecratione Episcopi.

**Continuatio
praefationis
sacramentalis**

10. Episcopus prosequitur cantum praefationis, extensam tenens manum dexteram uti prius versus ordinatos et sinistram pectori appositam, inde a verbis *Abundet in eis totius forma virtutis* usque in finem. Cum dicit *Per eundem*, submissa sed clara utetur voce sine cantu et manus ante pectus iunget.

Vestitio

11. Episcopus sedet in faldistorio et induitur mitra. Caeremoniarii 1us et 2us se sistunt in planum vel in infimum altaris gradum a lateribus episcopi; diaconi omnes surgunt et se sistunt unus post alium; et prout accedunt, stolas et dalmaticas caeremoniariis tradunt, qui stolas dant diacono missae et dalmaticas explicant. Primus, facta in plano genuflexione, ascendit et genua flectit in suppedaneo; episcopus, accipiens stolam de manu diaconi, illam super humerum sinistrum eius imponit dicens *Accipe stolam*, etc et manu dextra benedicit diaconum, qui respondet *Amen*. Caeremoniarius a dextris ordinati stolam subter brachium dexterum aptat.

Deinde caeremoniarii dalmaticam explicatam episcopo tradunt, sacris ministris manicas vestis tenentibus, et diaconum induit dicens *Induat te Dominus* etc., et respondet diaconus *Amen*.

Imus diaconus surgit, se vertit ad sinistram suam, in planum descendit et, facta genuflexione cum alio, ad locum suum se confert. Deinde episcopus successive vestit ceteros diaconos, qui eodem ordine procedunt.

¶ Si una tantum habetur dalmatica, servantur quae dicta sunt de subdiaconis, n. 108, 9.

**Traditio
evangelistarii**

12. Finita vestitione, caeremoniarius 1us librum evangeliorum super genua episcopi ponit, qui illum manibus tenet. Diaconi se sistunt in duabus lineis; et bini, facta in plano genuflexione, ad altare ascendunt, flectunt genua in suppedaneo, et manu dextra tangunt librum, dicente episcopo *Accipite potestatem* etc. (in plurali), et ipsi respondent *Amen*; qui a dextris, a dextris se vertit, qui a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, genuflexionem efficiunt cum aliis duobus, et ad loca sua revertuntur. Si sint numero impari, ultimi tres ascendunt simul. Finita traditione libri, caeremoniarius evangelistarium 1º acolytho tradit, ad abacum reportandum.

Benedictio

13. Diaconi omnes genua flectunt simul in suis locis. Episcopus, deposita mitra et ad altare versus, canit *Oremus*; diaconus, etiam ad altare versus, cantat invitationem ad genuflectendum cum responsione. Episcopus, cum suis ministris iterum se vertens ad ordinatos, canit orationem *Exaudi, Domine*, dextera illos benedicens, et adiungit aliam *Domine sancte* ad diaconos benedicendos, qua finita, ministri de libro et scotula recedunt et sedet episcopus, accepta mitra.

Dimissio

14. Archidiaconus, tempestive ad altare a caeremoniario
2^o vocatus, dicit clara voce *Ad loca vestra*, et omnes,
ad altare simul et ad episcopum genuflectentes, recedunt ad loca sua.

111**ART. XV — CONTINUATIO MISSAE**

Episcopus, accepto baculo, revertitur ad thronum cum suis assistentibus
ubi reddit baculum, et in sabbato Pentecostes accipit gremiale.

A schola cantatur tractus (in sabbato *Sitientes* graduale) usque ad versum
exclusive, in sabbato Pentecostes totus tractus et subinde sequentia, sed usque
ad ultimam stropham exclusive, quod submissa voce legitur ab episcopo.

112**ART. XVI — ORDINATIO PRESBYTERORUM****Iter episcopi ad
altare**

1. Finito cantu, episcopus (deposito gremiali in sabbato
Pentecostes) accepto baculo, redit ad altare ordine quo
prius et sedet in faldistorio, ubi reddit baculum et
assumit gremiale.

Vocatio

2. Archidiaconus in suppedaneo vocat electos dicens
Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem presbyteratus,
qui omnes, cum candela extincta in manu dextra et casula super brachium
sinistrum, passum unum ad altare accedunt. Deinde notarius appellat singulos
nominatim, omisso titulo ordinationis vel aliis titulis. Ius electus respondet
Adsum, et pergit ante episcopum cui facit genuflexionem et ad locum ei a
caeremoniario datum adit, quod et omnes faciunt prout vocantur.

Caeremoniarius ordinandorum illos in forma coronae, vel sit sint plurimi
in ordinibus ante episcopum disponit, quibus dispositis, genua flectunt simul
omnes.

Postulatio

3. Ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra
pontificis et archidiaconus dicit *Excellentissime ac
reverendissime Pater*, si celebrans sit cardinalis *Eminentissime ac reverendissime
Pater*, postulat sancta mater etc.

Cui episcopus interrogat *Scis illos esse dignos?*

Archidiaconus respondet *Quantum humana fragilitas* etc. Episcopus dicit
Deo gratias, et discedit archidiaconus.

**Consultatio et
electio**

4. Episcopus clero et populo electionem novorum
cooperatorum annuntiat, dicens elatiore voce sine cantu
Quoniam, fratres carissimi etc., et in fine pausat
aliquantulum.

Exhortatio

5. Pontifex deinde, submissiore sed clara voce, sermonem suum ad ordinandos convertens, admonet eos dicens *Consecrandi, filii dilectissimi* etc. In fine ordinandi respondent *Amen*, et caeremoniarius eorum, acceptis candelis, eas seorsum deponit; et recedunt ministri de libro et scotula.

¶ Si ordinationes aliorum ordinum maiorum habitae non fuerunt, finita exhortatione, ordinandi se prosternunt in medio presbyterio; episcopus, deposito gremiali, genua flectit in faldistorio, et a duobus cantoribus, flexis genibus in medio choro, cantantur litaniae et omnia fiunt ut in n. 108, 4, 5, exceptis quae ad subdiaconos et diaconos se referunt.

**Praeparatio
ad impositionem
manuum**

6. Incepta exhortatione, caeremoniarius 2us invitat presbyterum et diaconos assistentes et canonicos seu presbyteros manus imposituros ad altare, et illos in duobus ordinibus hinc inde disponit, incipiens in plano ante altare a latere evangelii, ita ut presbyterandi sint in medio.

Canonici non accipiunt stolam quia iam sunt parati. Si praeter canonicos paratos, aderint in choro alii sacerdotes, invitari et ipsi poterunt ad manus imponendas, qui omnes induunt stolam ⁽¹⁾ coloris missae, super superpelliceum, et locum sumunt post canonicos; si vero sint regulares stolam induent super habitum chorale ordinis proprium.

Si canonicorum capitulum non aderit, sacerdotes praesentes, incipientes a dignioribus, manus imponunt post presbyterum et diaconos assistentes. Minime necesse est ut omnes sacerdotes praesentes manus imponant, praesertim si sint multi (D 2616, VI); duodecim, sex ex una parte, sex ex altera, sufficiunt ⁽²⁻³⁾; si pauci sint sacerdotes praesentes, omnes manus imponunt;


(1) Abusus esset plures esse sacerdotes quam stolas pro manuum impositione, ita ut illi qui manus singulariter imposuerint, stolas suas aliis traderent, ut et ipsi manus imponant. Tot sint sacerdotes manus imposituri quot stolae, et collectiva impositione inexplata, nemo qui manus imposuit recedat.

(2) Numerus sacerdotum a rubricis non determinatur; duodecim dicimus, *et non plus*, est enim antiquum presbyterium in memoriam duodecim apostolorum, quod etiamnum a PR pro oleorum consecratione praecipitur. Tres tamen semper requiruntur; ait enim rubrica *tres aut plures*, duo enim non faciunt capitulum neque presbyterium constituunt. Ita etiam legis in libro Durandi, qui iubet presbyteros accipere pluviale vel planetam. Andrieu, tome III, p. 367.

(3) In ordinatione presbyterali, uti habetur in vetusto ritu ordinationis a "Traditione Apostolica" accepto, presbyterium manus imponit post pontificem, qui dein solus recitat formam sacramentalem. In episcoporum consecratione idem servabatur ritus: episcopi praesentes manus imponebant electo et ultimo celebrans formam dicebat. In utroque casu impositio manuum a praesentibus pars erat et est ritus ordinationis: qui ad sacerdotium eliguntur a presbyterio adprobantur et confirmantur. Proinde hodiernus ritus impositionis manuum a sacerdotibus praesentibus non est simplex caeremonia neque uti talis habenda, sed revera participatio ritus ordinationis.

ORDINATIONES


4) • MANUUM IMPOSITIO PRESBYTERIS AB EPISCOPO



○ - PRESBYTER MANUS IMPOSITURUS

ORDINATIONES

5) • MANUUM IMPOSITIO A PRESBYTERIS



canonici diaconi vel subdiaconi, sacerdotali ordine aucti, partem habebunt in impositione manuum; sacri ministri ab impositione manuum abstinebunt licet sint sacerdotes, eo quod ministrorum funguntur officio, sed nec caeremoniarii qui intenti esse debent officio suo; diaconi assistentes manus imponent cum canonicis de choro iuxta ordinem.

**Impositio
manuum**

7. Presbyterandi, ad nutum caeremoniarii, assurgunt et bini in ordine ante pontificem consistunt.

Episcopus, deposito gremiali, assurgit cum mitra; ordinandi bini, facta prius in plano genuflexione, ad altare ascendunt, et genua flectunt in ora suppedanei ⁽¹⁾.

Episcopus manus extensas imponit singulis capitibus presbyterandorum, ea physice tangendo, nihil dicens, quae quidem manuum impositio materia est Ordinationis presbyteralis. Ipsi deinde bini descendunt, qui a dextris, ad dexteram, et qui a sinistris, ad sinistram se vertentes, et ad loca sua revertuntur. Impositione manuum episcopi expedita, omnes in genibus procumbunt. Diagramma V.

Caeremoniarius ordinandorum ita eos disponat, ut sacerdotes manus imposituri possint facile *ante* eos transire.

Episcopus, postquam manus super omnes imposuerit, stabit, cum sinistra manu ad pectus, dextera versus electos extensa.

Caeremoniarius Ius facit canonicos et sacerdotes ad id deputatos unum post alium, *ante* ordinandos transire et manus iunctas et extensas super singulis eorum capitibus imponere physice tangendis. Prius ritum exsequuntur qui a dextris episcopi stant, deinde qui a sinistris, incipientes ab archidiacono.

Singuli sacerdotes, manibus impositis, redeunt ad loca ubi erant, dextera semper versus ordinandos extensa, et cum pervenerint, stabunt, eadem positione, sinistra pectori apposita. Diagramma VI.

¶ Si locus sit exiguus, sacerdotes remanebunt suis locis in choro et ad altare pergent, unus post alium, ad imponendas manus capitibus ordinandorum, et statim revertentur ad loca sua in choro, extensa semper dextera versus ordinandos.

Manibus impositis, ministri de libro et scotula ad episcopum accedunt et ipse dextera super electos semper extensa, cantat invocationem *Oremus, fratres carissimi* etc., qua finita, et non prius, manus ante pectus iungit et

⁽¹⁾ Pro impositione manuum presbyteris, eos binos ascendere facimus, dicit enim rubrica *binis et binis* (sic). Solemnius erit si singulariter ascendant, sicut fecerunt diaconi, quod si sint pauci ordinandi, certe licet et decet. Sed secuti sumus rubricam, quae forsitan in definitiva editione PR mutabitur.

sacerdotes eius exemplum sequuntur ⁽¹⁾. D 2851. Deinde canonici ac sacerdotes ad chorum redeunt, et qui stolam adhibuerunt illam deponunt.

Episcopus sedet, quousque canonici et sacerdotes ad chorum revertantur, deinde deposita mitra, iterum assurgit; se vertit ad altare cum suis ministris, cantat *Oremus*; diaconus *Flectamus genua* et *Levate*; deinde pontifex, iterum ad electos se vertens cum suis ministris, iunctis manibus, cantat orationem *Exaudi nos*, etc., dextra illos benedicens.

**Praefatio
sacramentalis**

8. Cum pervenerit ad verba *Per omnia saecula*, Episcopus elevat vocem in tono feriali praefationis, et manibus ante pectus extensis, praefationem modulatur usque ad verba *tanto his pluribus indigemus* et pausatur.

Nulla interposita mora, et extensis semper manibus ante pectus, Episcopus dicit recto tono et elata voce sine cantu verba formae sacramentalis:

Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis instruant.

Dein Episcopus praefationem ad finem usque prosequitur in cantu, manibus uti prius ante pectus extensis. Cum dicit *Per eundem* manus ante pectus iungit et, submissa sed clara voce, legit terminationem. Ea lecta, ministri de libro et scotula recedunt versus sinistram Episcopi.

Vestitio

9. Finita praefatione, episcopus sedet et cooperitur mitra. Caeremoniarum magistri 1us et 2us se sistunt in plano hinc inde ante episcopum. Ordinati assurgunt, et se sistunt unus post alium. 1us tradit casulam caeremoniario 1^o, et, facta genuflexione in plano, ad suppedaneum ascendit, ibique genua flectit. Episcopus, adiuvante caeremoniario, partem stolae quae ab humeris pendet, super humerum dexterum ponit et ante pectus aptat in forma crucis, dicens *Accipe iugum Domini* etc., cui nihil respondet ordinatus.

Deinde, adiuvantibus caeremoniariis, imponit ei casulam, advertens ut pars posterior sit super humeros complicata, dicens *Accipe vestem sacerdotalem* etc. Et ordinatus respondet *Deo gratias*, assurgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, et, facta genuflexione, ad locum suum se confert ubi stans exspectat.

⁽¹⁾ Impositio manuum presbyteris fit usque ad invocationem *Oremus, fratres carissimi* inclusive, iuxta responsionem SRC D 2851; corrigendus est proinde index decretorum eiusdem Congregationis, p. 351, ubi dicitur manus debere extendi donec episcopus orationem *Exaudi* absolverit; nam in DD 3307 et 3274 nulla fit mentio de oratione *Exaudi*, et verbum *orationem* a SRC usitatum, intelligendum est de invocatione *Oremus, fratres carissimi* iuxta D 2851.

Cum Ius assurgit, Ius, facta in plano genuflexione, ad altare ascendit, et pontifex eum vestit prout vestivit Ium et omnes procedunt sicut Ius, et pro singulis fit similiter.

Benedictio

10. Finita vestitione, neo-presbyteri genua flectunt in suis locis et episcopus, deposita mitra, assurgit, et cantat orationem *Deus sanctificationum* etc., dextera illos benedicens.

Unctio manuum

11. Ministri de libro et scotula recedunt; et caeremoniarius Ius pulvinar in plano ante faldistorium ponit et super faldistorium pontificale; episcopus, vertens se ad altare cum suis ministris, genua flectit, quod et omnes faciunt, et a diacono nudatur pileolo; subinde ipse intonat hymnum *Veni, Creator*. Finita prima strophā, diaconus pileolum pontifici reponit, assurgunt omnes, caeremoniarius aufert pontificale et pulvinar, et pontifex sedet in sede sua, ubi a diacono cooperitur mitra.

Minister de gremiali cum lance, facta in plano genuflexione, genua flectit in ora suppedanei; diaconus aufert annulum et chirothecam dexteræ manus episcopi, et subdiaconus chirothecam sinistræ; diaconus iterum ponit annulum digito episcopi, et recedit clericus cum chirothecis.

Diaconus gremiale lineum super genua episcopi locat, et, adiuvante subdiacono, faldistorio aptat.

Clericus Ius de abaco, accepto sancto oleo, se sistit a dextris diaconi, cui illud tradit, et recedit; ministri de libro et scotula se sistunt a sinistris pontificis.

Neo-presbyteri assurgunt et se sistunt unus post alium. Ius ordinatus, facta genuflexione in plano, ad suppedaneum ascendit, ubi flectit genua; caeremoniarius a dextris ordinati accipit linteam a cingulo eius pendens. Presbyter manus suas apertas, ac in parte inferiore bene coniunctas, episcopo praesentat.

Episcopus, diacono vasculum tenente, pollicem dexterum intingit in sancto oleo, et, sinistra sua subter manibus presbyteri posita ad illas firmandas, inungit manus eius in forma crucis, id est, facit lineam cum sancto oleo a pollice dexteræ manus ad indicem sinistræ, dicens *Consecrare*; deinde a pollice sinistræ ad indicem dexteræ, dicens *et sanctificare*; subinde inungit totaliter palmas manuum dicens *digneris, Domine, manus istas per istam unctionem*; deinde dicens *et nostram benedictionem* dextera benedicit signo crucis manus electi, et ordinatus respondet *Amen*. Et pontifex dicit *Ut quaecumque benedixerint* etc., ad quæ ordinatus iterum respondet *Amen*. Vide partem III, p. 594, notam I.

Episcopus deinde claudit manus presbyteri, id est, iungit palmam cum palma, et caeremoniarius a dextris ordinati manus eius aptat linteo, qui deinde

assurgit, vertit se super sinistram suam, et, facta genuflexione in plano, pergit ad locum suum, ubi stans exspectat ⁽¹⁾.

Ascendit 2us presbyter, et sic alii omnes, et episcopus singulos inungit et claudit manus, sicut fecit 1mo.

Unctis manibus omnium presbyterorum, episcopus digitos abstergit gossipio a suo caeremoniario praesentato, et clericus, accepto oleo a diacono, ad abacum revertitur.

Cum episcopus inungit manus electorum, schola prosequitur cantum *Veni, Creator*; advertant tamen cantores ut cantus protrahatur toto tempore unctionis et, si necesse sit, repetantur strophae, excepta prima et ultima.

¶ Chorus stabit toto tempore unctionis manuum presbyterorum.

Finite unctione manuum, a schola cantatur doxologia, et omnes caput profunde versus crucem altaris inclinant, pontifex vero sedens caput inclinat.

Traditio calicis et patenae

12. Caeremoniarius 1us episcopo tradit calicem cum vino aqua mixto, una cum patena et hostia. Neopresbyteri iterum se sistunt unus post alium.

Presbyter 1mus in ordine, facta genuflexione in plano, ad altare ascendit, et genua flectit in suppedaneo; tangit patenam inter indices et medios digitos, et cuppam calicis cum ceteris digitis, ita ut cuppam calicis et patenam simul tangat, cum pontifex dicit *Accipe potestatem* etc. Ordinatus respondet *Amen*, surgit, se vertit super sinistram suam, descendit in planum, et facta genuflexione ad locum suum recedit, ubi exspectat stans.

Cum assurgit 1us, 2us genuflectit et ascendit et deinde alii, et episcopus singulis tradit calicem cum patena, formulam repetens, sicut fecit pro 1mo.

¶ Antequam 1us presbyter ad altare ascendat, caeremoniarius eius solvit aliquantulum linteum manuum, ita ut convenienter calicem et patenam tangere et recipere possit, manibus in superiore parte disiunctis. Facta traditione, et presbytero in planum reverso, caeremoniarius manus eius iterum aptat, et ita quoad ceteros.

Postquam omnes calicem tetigerunt, caeremoniarius 1us calicem de manu episcopi accipit et acolytho 1º tradit ad abacum portandum, et ministri de libro et scotula discedunt.

3ª lotio manuum episcopi

13. Ministri lotionis ad episcopum accedunt, et presbyter assistens vocatus se sistit a dextris episcopi in superiore gradu. Episcopus, deposito annulo, manus fricat cum medulla panis vel citreo, a caeremoniario porrecto et deinde eas lavat, presbytero assistente mantile tradente; quo facto, discedunt ministri

(1) In nonnullis locis, loco linteï, ad manus novi presbyteri aptandas, solent adhibere vittam sericam, vel lineam, ornatam, quam ad collum aptant: certe abusiva usurpatio ritus consecrationis episcoporum.

lotionis, et sacri ministri gremiale lineum solvunt, quod diaconus caeremoniario 1^o tradit; deinde clericus de gremiali, acceptis chirothecis in lancea, et facta genuflexione in plano, genua flectit in suppedaneo; diaconus imponit chirothecam manus dexteræ, dum subdiaconus imponit aliam sinistrae; presbyter assistens dein ponit annulum digito episcopi.

**Lotio manuum
presbyterorum**

14. Neo-presbyteri genuflectunt ad episcopum simul et ad crucem, et pergunt ad locum paratum ubi lavare debent manus, et eo cum pervenerint, manus fricabunt cum citreo, lavabunt, et abstergent linteo quo manus praecingebantur, vel manutergiis. Lotis et abstersis manibus, omnes simul ad altare revertuntur, cum genuflexione ad altare et ad episcopum, et se sistunt in suis locis in choro.

Cum pontifex ad thronum reversus discesserit, clerici de abaco faldistorium amovebunt, in fine missae tantum adhibendum.

113

ART. XVII — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

**Iter episcopi ad
thronum et conti-
nuatio missae**

1. Pontifex, accepto baculo, cum suis ministris ad thronum revertitur ordine tradito, ubi reddito baculo et accepto gremiali, legit ultimum versum tractus, vel ultimum versum gradualis in sabbato *Sitientes*, sive ultimam stropham sequentiae in sabbato Pentecostes, quae a schola cantatur.

Evangelium

2. Evangelium cantatur ab uno e diaconis noviter ordinatis, vel ab unico, si unus tantum ordinatus fuit, dalmatica induto, qui, osculatus manum episcopi, et dicto *Munda cor meum*, petit benedictionem; subdiaconus, qui cantavit epistolam, librum sustinebit, et cetera fiunt de more. In fine episcopus osculatur librum; subdiaconus illum reddit caeremoniario, et ambo recedunt ad loca sua; episcopus incensatur a presbytero assistente. Vide notam 1, p. 99.

¶ Si nullus fuit diaconus ordinatus, evangelium cantabitur a diacono ministrante et subdiaconus missae assistit.

Offertorium

3. Episcopus, cantato *Dominus vobiscum* et *Oremus*, legit offertorium, pro quo se sistunt coram eo ministri de libro et scotula; deinde sedet accepta mitra, et recedunt ministri de libro et scotula; interim a schola cantatur offertorium.

Libriger missale cum cussino seu legili ponit in cornu evangelii altaris et candeliger scotulam prope missale locat.

¶ Incepto offertorio, vel paulo ante, sacristae parabunt scamna seu genuflexoria cum missalibus, ad usum presbyterorum, in medio presbyterii,

procul ab altari, ne pontifici transitus intercludatur, et spatium liberum in medio relinquatur pro transitu ordinatorum cum ad altare accedunt ad Eucharistiam recipiendam.

¶ In sabbato Pentecostes cantatur *Credo*, et post *Incarnatus est* diaconus de more portat corporale ad altare. Episcopus post lectionem offertorii, induitur mitra pretiosa.

**Praesentatio
candelarum**

4. Caeremoniarius ordinandorum, adiuvantibus clericis de abaco, accipit eorum candelas, et eas ardentes ordinatis omnibus tradunt; qui, uno ordine dispositi, incipiendo a presbyteris, procedunt ad thronum, facta genuflexione ad crucem cum transeunt ante illam. Clerici duo de abaco se sistunt a dextris throni, 2us cum canistro ad recipiendas candelas.

1us assistens throni, adiuvante 2º, episcopo imponit gremiale linteum, a ministro traditum.

1us ordinatus, facta genuflexione in plano, ad thronum ascendit, et flexis genibus candelam suam pontifici offert, cum osculo manus pontificis tantum, sinistra pectori apposita. Episcopus, accepta candela, eam 1º diacono throni tradit, qui eam tradit 1º clerico de abaco, ut in canistro reponat. Ordinatus assurgit, se vertit ad dexteram vel sinistram suam, iuxta loci dispositionem, descendit in planum, genuflectit cum illo qui 3º loco venit, et ad locum suum discedit, genuflectens ad crucem si transeat ante illam. Cum 1us assurgit, 2us genuflectit et ascendit, et singuli faciunt similiter ⁽¹⁾. Diagramma VII.


¶ Si numerus ordinandorum sit magnus, traditio candelarum fieri poterit tantum a 1mo ordinato uniuscuiusque ordinis et a 1mo clerico initiato, sicut observatur in Basilica Lateranensi, qui alius post alium ad thronum accedunt uti superius dictum est. D 2883, IV ⁽²⁾.

⁽¹⁾ Offertorium candelarum fit ad thronum, vel ad faldistorium missae et non ad altare. Talis est enim modus a MM et LVH traditus quem secuti sumus. Eadem servabitur regula pro sequentibus functionibus 1^{mae}. partis PR. Nam offertorium, tum in ordinationibus, tum in episcoporum consecratione vel benedictione abbatis et abbatissae, est res personalis, fit enim episcopo celebranti; rationabilius fit proinde ad sedem eius. Praeterea episcopus, iuxta CE, ad altare accedere debet tantum post lotionem manuum, et offertorium fit ante lotionem. His tamen non obstantibus, PR semper supponit traditionem donorum episcopo fieri ad altare.

⁽²⁾ Quidam SRC consuluit utrum servari liceat consuetudinem tradendi episcopo unicam candelam pro omnibus ordinatis, ita ut eadem candela ab uno ordinato offeratur episcopo, ab eo tradatur diacono, a diacono caeremoniario, deinde altero ordinato et rursus episcopo offeratur, et ita usque ad ultimum. Nescimus cur talis usus, circulus omnino vitiosus, offerendi rem toties oblatam, tolerari potuerit, est enim contra rubricas PR, quibus stare debemus, D 2682, VII. Quod si ordinandorum numerus esset magnus, et candelae episcopo praesentarentur tantum a primo uniuscuiusque ordinis, ceteri omnes deberent candelas gestare, cum episcopo praesentantur.


ORDINATIONES

6) • OFFERTORIUM CANDELARUM AD THRNUM



ORDINATIONES

7) • CONCELEBRATIO-AD CONSECRATIONEM



○ ○ — NEO-PRESBYTER CUM SUO ASSISTENTE

Neo-presbyteri loca sua occupant ad scamna seu genuflexoria parata in medio presbyterio, et stant ibi. Clerici de abaco ad eum revertuntur, et canistrum cum candelis in sacrario reponitur.

¶ Caeremoniarius ordinandorum, ad finem offertorii candelarum, invitabit sacerdotes superpelliceis indutos (etiamsi gaudeant usu aliae vestis choralis), qui iuxta presbyteros in celebratione missae consistere debent (ubi viget usus), ad scamna, unusquisque a sinistris sacerdotis cui inservire debet, vel si unus inservit duobus, medius inter illos.

**4^a lotio manuum
episcopi**

5. Finita traditione candelarum, clericus de gremiali cum lance ad thronum accedit, et episcopus annulum et chirothecas deponit; deinde ministri lotionis accedunt et episcopus lavat manus; finita lotione, iterum assumit annulum, et e genibus eius amovebitur gremiale linteum.

114

ART. XVIII — CONCELEBRATIO MISSAE

**Iter episcopi ad
altare**

1. Episcopus, deposito gremiali linteo et accepto baculo, descendit de throno et pergit ad altare, medius inter diaconos assistentes, sequentibus ministris de insignibus et caudatario, praeunte tamen presbytero assistente.

Cum episcopus transit per chorum, omnes genuflectunt.

Ante medium altaris pontifex, reddito baculo et deposita mitra, cruci profunde se inclinat, ministri genuflectunt vel se inclinant, prout eis competit, et ad altare ascendit cum presbytero assistente et diacono ad dexteram; diaconi assistentes ante altare remanent, et subdiaconus ad abacum se confert.

**Regulae pro
episcopo**

2. Episcopus celebrat missam sueto more, advertens ut partes, quae secrete dicuntur, dicat aliquantulum altius et morose, ita ut neo-presbyteri possint cum eo una simul omnia proferre, praesertim verba consecratoria.

**Regulae pro neo-
presbyteris**

3. Neo-presbyteri concelebrationem missae cum pontifice incipiunt a *Suscipe, sancte Pater* (D 2404, I) et proseguuntur flexis genibus (D 2404, II) usque ad ultimum evangelium exclusive, clara sed submissa voce; ipsi se signant cum episcopus se signat; pectus percutiunt cum eo; abstinent tamen ab inclinationibus quas facit episcopus, cum ipsi iam sint genuflexi, et a benedictionibus oblatores, incensi et aquae, manibus iunctis ante pectus semper manentibus (D 2404, III); abstinent etiam a recitatione quae incensationem concomitatur; submissa voce recitabunt partes quas episcopus cantu modulatur. D 2682, XI. Diagramma VIII.

Incensatio

4. Diaconus missae, incensato episcopo, incensat presbyterum et diaconos assistentes, deinde canonicos et praelatos in choro, demum subdiaconum; postea neo-presbyteros qui assurgunt, singulariter duplici ductu, quod si fuerint multi eos incensat per modum unius, ultimo diaconos et subdiaconos paratos per modum unius et reddit thuribulum ministro ⁽¹⁾.

Thuriferarius thurificat diaconum missae, deinde neo-clericos et ordinatos in minoribus simul cum aliis de choro, postremo populum. Sacerdotes qui neo-presbyteris assistunt non incensantur, cum sint impediti.

Funalia

5. Ad *Sanctus* intrabunt clerici quatuor cum funalibus, qui flexis genibus permanebunt quousque ordinati sacra Eucharistia reficiantur, duo a latere evangelii et duo a latere epistolae.

**Sanctus et
Agnus Dei**

6. Caeremoniarum magistri intenti erunt ne recitatio *Sanctus* et *Agnus Dei* a celebrantibus impediatur a cantu scholae, quod si necesse sit contentur tantum post recitationem ad altare.

Pax

7. Episcopus more solito post primam orationem pacem dat ministris throni et altaris; presbyter assistens pacem per chorum distribuit sed non neo-ordinatis.

Cum episcopus incipit pacem dare suis assistentibus, neo-presbyteri assurgunt et caeremoniarius ordinatorum invitat unum presbyterum, unum diaconum, et unum subdiaconum ad altare post ministros missae.

Imus presbyter, facta Sacramento genuflexione in infimo altaris gradu, ad altare ascendit, illudque osculatur, manibus super ipsum positis quia concelebrat; accipit pacem ab episcopo, cui facit profundam capitis reverentiam ante et post, genuflectit iterum Sacramento, descendit, et dat pacem 2^o presbytero, et hic 3^o et sic deinceps.

Imus diaconus et imus subdiaconus deinde, eodem modo ac imus presbyter, accipiunt pacem ab episcopo, sed iunctis manibus ante pectus dum osculantur altare ⁽²⁾. Imus diaconus pacem dat 2^o diacono; imus subdiaconus,

⁽¹⁾ Dicimus neo-ordinatos in sacris esse a diacono missae incensandos, quod erit servandum etiamsi diaconus missae sit canonicus in sua dioecesi seu praelatus; ratio est quia presbyteri concelebrant cum episcopo, et sacri ministri ordinati sacris sunt induti vestibus, et ex ipsis duo in missa pontificali epistolam et evangelium decantant; praeterea regula antiqua est ut a diacono incensentur illi qui pacem a presbytero assistente sunt recepturi; in missa ordinationum omnino incongruum videtur, et est, ut ordinati qui pacem ab ipso episcopo recipiunt, ab alio incensentur quam a diacono missae, quisquis sit ille. Cfr. De Herdt, Praxis Pontificalis. Tom I. n. 188 a; n. 200 f.

⁽²⁾ Quaeritur an lus diaconus et lus subdiaconus (vel, si sint pauci, omnes diaconi et subdiaconi ordinati) debeant osculari altare antequam accipiant pacem? Respondetur affirmative; dicit enim rubrica PR (ubi de ordinatione presbyterorum versus finem) *Pontifex dat primo ex singulis ordinatis, cuiuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti,*

data pace 2^o subdiacono, eam dat 1^{mo} acolytho; hic eam dat alii ordinato in minoribus, et sic usque ad ultimum.

Episcopus exspectat quousque presbyteri, accepta pace, genua iterum flectant, priusquam recitet 2am et 3am orationem communionis. Recepta pace, sacri ministri ad latus episcopi ascendunt, diaconus a sinistris et subdiaconus a dextris, solito more. Presbyter assistens, finita traditione pacis, remanet in plano a cornu evangelii.

115

ART. XIX — COMMUNIO ORDINATORUM

**Communio
presbyterorum**

1. Cum pontifex dicit *Domine, non sum dignus*, acolythi, accepta mappa et facta in medio ante altare genuflexione, se sistunt hinc inde in superiori gradu, alius ad alium

versus, mappam extensam tenentes.

Sumpto pretioso Sanguine ab episcopo, subdiaconus calicem cooperit; presbyteri assurgunt, et, bini vel quaterni, ad oram suppedanei ascendunt et flectunt genua.

Diaconus pyxidem discooperit, et episcopus cum suis ministris genu flectit; diaconus accipit pyxidem duabus manibus, et subdiaconus patenam-et, non mutantem loca, se vertunt ad ordinatos, et episcopus statim dat Sacramentum presbyteris nihil dicens sed tantum signum crucis faciens cum hostia-presbyteri de more ante communionem anulum episcopi osculantur. DD 2089 IV; 3721.

Presbyteri, bini vel quaterni, recepta communionem, assurgunt, se vertunt, qui a dextris ad dexteram qui a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, et ad loca sua se conferunt.

**Communio
ceterorum**

2. Post communionem presbyterorum episcopus, accepta hostia una, statim dicit ceteris ordinatis *Ecce Agnus Dei* ac ter *Domine, non sum dignus* etc.

Diaconi et subdiaconi ordinati et promoti ad ordines minores seu ad tonsuram, si sunt communicaturi, pergunt ante altare bini vel quaterni, ad supremum gradum altaris ascendunt, et genua flectunt in ora suppedanei.

Episcopus Eucharistiam tradit, dicens singulis dum facit cum hostia signum crucis *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam,*

et altare prius ad dexteram pontificis deosculanti, pacem. Accedenti et deosculanti, ut patet legentibus, se referunt ad omnes. Quod confirmatur rubrica appendicis de ordinatione unius subdiaconi: uterque simul osculatur altare; subdiaconus tamen non ponit manus super altare, sed eas ante pectus plicatas retinet (quod et de diacono intelligendum est). Regula CE (I, 24, 3) de omissione osculi altaris a diaconis assistantibus et sacris ministris non est ad ordinatos extendenda, ut volunt quidam, cum ipsi in casu a PR regantur; rubricarum contradictio apparet tamen.

et singuli respondent *Amen*, osculantur manum episcopi et Sacramentum reverenter accipiunt.

¶ Si promoti ad ordines minores et ad primam tonsuram Eucharistiam accipiant, etiam pro ipsis episcopus adhibet formulam PR *Custodiat te et omnes* respondent *Amen*. Cf. Indicem decretorum SRC, p. 131, ad vocem *Corpus*.

Ordinati, recepta sacra communione, assurgunt, qui a sinistris se vertunt ad suam sinistram, et qui a dextris, super dexteram suam, descendunt in planum, et ad loca sua in choro se conferunt ubi genuflexi permanent ⁽¹⁻²⁾.

Cum omnes Eucharistiam sumpserint, episcopus se vertit ad altare cum suis ministris; diaconus a sinistris episcopi pyxidem super altare ponit, et subdiaconus a dextris eius patenam deponit.

Clerici duo cum mappula genuflexionem in medio conficiunt, et ad abacum redeunt; clerici cum funalibus assurgunt et, facta genuflexione simplici, ad sacrarium se conferunt.

¶ Tot hostiae consecrentur quot erunt clerici communicandi nec alii ad communionem admittantur, ita ut nulla supersit hostia.

**Ablutiones et
6. lotio manuum
episcopi**

3. Episcopus, ministrante subdiacono, accipit ablutiones more solito, purificans etiam pyxidem.

Diaconus legile vel pulvinar cum canone ad latus epistolae portat et, canone ad abacum portato, pontificale super legile seu pulvinar ponit.

Subdiaconus transit ad latus evangelii cum diaconus pergit ad latus epistolae, calicem et pyxidem abstergit, et calicem coopertum cum corporali in bursa ad abacum reportat, et caeremoniarius 2us pyxidem.

Presbyter assistens ad latus epistolae se confert et episcopus more solito, accepta mitra, lavat manus, assistente mantile praesentante, qui deinde ad chorum recedit cum diaconis de throno.

¶ Si nulli fuerunt presbyteri ordinati, statim transitur ad art. XXI huius capituli et missale ponitur super legile loco pontificalis.

(1) Re perspecta omisimus purificationem ordinandorum post communionem, de qua loquitur PR pro ordinatis in sacris; tum quia hic ritus passim obsolevit, tum quia hodie vix permittitur ut omnes ordinati se purificent ex eodem calice, et practice difficile est calices habere pro omnibus, praesertim si sint multi.

(2) Ritus purificationis a PR non praecipitur uti proprius ordinationis vel concelebrationis, quia ordinati Eucharistiam sub specie panis tantum recipiunt, sed ut ritus communis pro omnibus. Etiam CE loquitur de purificatione pro clero et populo universo (II, 29, 4); quae quidem praescriptio, quae etiam in RR habebatur, fuit e novis editionibus RR deleta uti obsoleta. In missa papali ablutiones post communionem cardinalium diaconorum olim praeceptivae, accipiuntur tantum facultative, et generatim simpliciter omittuntur. Bucci-Rinaldi, De Missa solemni Summi Pontificis, Romae 1889, p. 50.

Responsorium

1. Episcopus, deposita mitra, se vertit ad legile, sacri ministri efformant circulum, et ipse intonat responsum *Iam non dicam*, quod a schola completur, omisso post septuagesimam *Alleluia*.

¶ Incepto responsorio, clerici de abaco faldistorium in medio suppedaneo locant.

Episcopus ibit ad faldistorium cum suis ministris, et postquam sederit, induitur mitra a diacono. Ad *Gloria Patri* omnes caput profunde inclinant. Presbyteri et chorus stabunt dum canitur responsum. Minister de libro sumit pontificale e legili et loco ipsius ponit missale.

Credo

2. Post *Gloria Patri* neo-presbyteri se sistunt ante pontificem et, cantu finito⁽¹⁾, surgit pontifex cum mitra, dum ipsi, clara sed submissa voce, *memoriter* recitant symbolum fidei, quo finito, sedet episcopus.

**Ultima impositio
manuum**

3. Ministri de libro et scotula a sinistris episcopi se sistunt et neo-presbyteri unus post alium. Ius, facta in plano genuflexione, ascendit ad oram suppedanei, ubi flectit genua; episcopus sedens manus suas apertas imponit capiti eius dicens *Accipe Spiritum Sanctum* etc.

**Planetæ
explicatio**

4. Deinde, adiuvante caeremoniario, expedit partem posteriorem planetæ eius, dicens *Stola innocentiae* etc⁽²⁾.

(1) Iuxta rubricam PR novi presbyteri recitare debent *Credo* statim ac episcopus intonaverit responsum *Iam non dicam*; in praxi, cantus responsorii et recitatio una simul symboli fidei, fieri nequit; *Credo* recitatur proinde non *incepto* sed *finito* responsorio.

(2) Ante editionem PR a Durando exaratam neo-presbyteri in Urbe promoti induebantur casula explicata. Andrieu, tome I, p. 136; tome II, p. 345. Ritus induendi casulam in parte anteriori tantum, et retro involutam (quod tamen in ordinatione diaconi cardinalis in Papam electi nunquam fiebat. Ordo Gregorii X, Andrieu tome II, p. 529), nullam explicationem habet, praesertim cum neo-presbyteri debent concelebrare cum pontifice, quo in casu requiritur casula, quæ quidem revoluta, est res nimis deformis. Benedictini et alii nonnulli solent tantum inferiorem partem posteriorem casulae ad intus replicare, sicut fit pro casulis ministrorum in parte anteriori, est enim pulchrior solutio. Forsitan quidam putabant sacerdotium plene conferre tantum post ultimam impositionem manuum, ita ut sacerdotes celebrarent per participationem potestatis pontificis, et neo-presbyteri, sacerdotium plenum cum non accepissent, casulam totam explicatam habere non posse, aliam enim rationem invenire nequeo. Optandum ut in definitiva recensione PR ad usum antedurandianum et ad meliorem Urbis traditionem iterum deveniamus. Tamen, teste Leroquais, ritus induendi casulam ad scapulas exstabat ante Durandum saltem in aliquibus locis. Tome I, p. LXXII.

Obedientia

5. Episcopus, tenens manus presbyteri iunctas inter suas, eum interrogat *Promittis mihi, et successoribus meis, reverentiam et obedientiam?* Et respondet presbyter *Promitto.*

¶ Si celebrans non sit loci ordinarius, vel si presbyter sit alienae dioecesis, pontifex dicit *Promittis pontifici ordinario tuo, pro tempore existenti, reverentiam et obedientiam?* Quae formula adhibebitur, sed mutato verbo *pontifici* pro *praelato*, si presbyter sit regularis observantiae, vel si eius ordinarius sit praelatus, et pro omnibus utriusque cleri pontifex manus presbyteri tenet inter suas.

Osculum pacis

6. Episcopus, adhuc tenens manus presbyteri inter suas, approximat faciem suam dexteram ad faciem dexteram presbyteri et amplexans eum, ad instar osculantis ⁽¹⁾, dicit *Pax Domini sit semper tecum*, et ille respondet *Amen.*

Descendit deinde ordinatus et, facta genuflexione in plano, revertitur ad locum suum ante altare, ibique exspectat stans; cum Ius assurgit, 2us genuflectit et ascendit et sic faciunt ceteri, et episcopus singulis imponit manus, explicat planetam, interrogat, et dat amplexum pacis.

Exhortatio

7. Omnibus ad loca sua reversis, neo-presbyteri flectunt genua et episcopus, accepto baculo, legit instructionem *Quia res* etc.

**Finalis benedictio
presbyterorum**

8. Surgit pontifex, et, adhuc cum mitra et baculo, dicit recto tono cum cantu *Benedictio Dei* etc., dextera presbyteros genuflexos benedicens, ad qualem benedictionem stabunt ceteri omnes, circumstantes respondent *Amen* et recedunt ministri de libro et scotula.

Sedet episcopus, reddit baculum et deponit mitram.

117**ART. XXI — FINIS MISSAE****Communio**

1. Presbyter assistens vocatus, se sistit ad missale. Episcopus surgit et pergit ad cornu epistolae ubi versus ad altare legit ex missali, simul cum neo-presbyteris, versiculum communionis, postquam schola eum cantaverit.

¶ Cum episcopus pergit ad cornu epistolae, clerici de abaco amovent faldistorium ne impediatur ritus qui sequuntur, et minister de libro canonem apertum ante crucem altaris locat.

(1) Iuxta PR pontifex, accepta obedientia a presbytero, eum in facie osculari debet; iuxta praxim passim nostris diebus receptam tamen sufficit amplexus. D 2682, XVII, SRC de osculo in dextera parte vultus, saltem multis in locis observari nequit.

Postcommunio

2. Episcopus cantat *Dominus vobiscum* et postcommunionem cum alia pro ordinatis sub eadem conclusione, quae cum ab episcopo cantantur, a neo-presbyteris flexis genibus submissa voce recitantur, et iterat *Dominus vobiscum*, quae omnia fiunt uti moris est.

¶ In sabbato quatuor temporum Quadragesimae, post collectam, diaconus, ad populum versus, canit *Humiliate capita vestra Deo* et episcopus canit benedictionem *Fideles tuos*, quae a neo-presbyteris recitantur. In sabbato *Sitientes* eodem modo proceditur, sed dicitur benedictio *Deus qui sperantibus in te*.

**Ite
Missa est
Placeat**

3. Diaconus Missae, ipse solus, cantat *Ite Missa est* de more.

4. Pontifex, una cum neo-presbyteris, recitat orationem *Placeat* et osculatur altare.

**Benedictio et
indulgentiae**

5. Episcopus, accepta mitra, impertitur solemniter benedictionem pontificalem consueto more, accepto baculo cum dicit *Patris*.

Neo-presbyteri, licet concelebrent, flexis genibus accipiunt benedictionem munientes se signo crucis.

¶ Si celebrans sit metropolita non accipit mitram, et crucifer se sistit coram eo pro benedictione.

Post benedictionem, presbyter assistens publicabit indulgentias, et se sistit in plano a cornu evangelii.

**Ultima exhortatio
et paenitentia**

6. Benedictione data, episcopus recedit ad latus epistolae dum acolythi faldistorium ante medium altare reponunt; episcopus sedet, retento baculo et accepta mitra si sit metropolita.

Caeremoniarius ordinandorum iubet ordinatos omnes ante episcopum convenire, circulum efformantes si sint pauci, in ordinibus vero dispositos, si sint multi, digniores primos, qui manibus ante pectus apposis genua flectunt.

Ministri de libro et scotula se sistunt a sinistra episcopi, et pontifex legit exhortationem *Filii dilectissimi* ⁽¹⁾; deinde paenitentiam ordinatis imponit,

⁽¹⁾ Iuxta MM et LVH, quos sequimur, episcopus baculum retinet pro ultima admonitione *Filii dilectissimi*, post benedictionem finalem; sed hoc a rubrica non praecipitur; immo rubrica appendicis pro ordinatione unius dicit *Reddito baculo*. Nec videtur cur adhiberi nequeat baculus pro hac ultima admonitione, contra regulam generalem pro aliis admonitionibus datam; paenitentiae impositio cum baculo optime intelligitur. Rubrica tamen, tam primae partis quam appendicis, iubet episcopum assumere baculum pro paenultima admonitione *Quia res*. Stricte loquendo episcopus adhibere deberet baculum in omnibus admonitionibus et invocationibus, pro quibus utitur mitra, cum sint correlativa, commoditatis gratia tamen ab usu baculi dispensatur a rubricis, quod confirmavit SRC, D 2179, IV.

qui respondent *Libenter*. Quoad ordinatos in subdiaconos et diaconos advertat episcopus ut loco *talis diei* dicat *nocturnum feriae occurrentis* vel aliud ⁽¹⁻²⁾.

Imposita paenitentia, ordinati omnes surgunt, et bini, facta genuflectione, ad loca sua revertuntur, exceptis presbyteris qui stabunt ubi erant.

Ministri de libro et scotula recedunt, et diaconi assistentes descendunt de choro et se sistunt in plano ante gradus altaris.

¶ Si celebrans sit metropolita, diaconus caput eius nudabit mitra, deinde, adiuvante subdiacono, amovebit pallium una cum spinulis et super lancem, a cornu evangelii positam, ponet.

Ultimum evangelium

7. Episcopus, deposita mitra, surgit et ad latus evangelii se confert, ubi dicit cum neo-presbyteris *Dominus vobiscum*, deinde incipit evangelium sancti Ioannis, a presbyteris etiam recitandum; et ab acolythis removetur faldistorium.

Episcopus, accepta mitra, pretiosa in sabbato Pentecostes, alias simplici, et baculo, descendit in planum cum suis ministris, et, facta cruci altaris profunda reverentia, ad thronum revertitur, medius inter sacros ministros. Presbyter assistens pergit ante episcopum, diaconi assistentes incedunt paulo retro post ipsum, sequuntur caudatarius et ministri insignium.

Episcopus benedicit clerum dum transit per eum, et omnes, etiam neo-presbyteri, genuflectionem simplicem conficiunt.

Pontifex cum sacris ministris ad thronum ascendit, presbytero et diaconis assistantibus in plano remanentibus, sedet, reddit baculum et a diacono missae exiit mitra; assurgit, genuflectit dicens *et Verbum caro factum est*, omnibus genuflectentibus, iterum sedet, et a diacono induitur mitra.

Presbyter assistens, officio suo functus, et diaconi assistentes, facta reverentia episcopo, ad loca sua in choro recedunt, ubi sacras deponunt vestes et accipiunt chorales.

Discessus ordinatorum

8. Caeremoniarius ordinatorum disponit ordinatos omnes in medio choro, duos efformantes ordines, et, dato signo a 1^o caeremoniario, bini genuflectionem facientes ad altare et deinde ad episcopum, qui eos benedicit, iunctis manibus ad sacrarium pergunt, a dignioribus ad inferiores, seu incipientes a presbyteris et sacras deponunt vestes.

(¹) Ad subdiaconatum et ad diaconatum promoti, nocturnum, id est, antiphonas et novem psalmos matutini, recitare debent feriae occurrentis, omissis aliis. D 4117. Haec recitatio nihil habet commune cum officio diei. Si ordinatio fit in dominicis, dicuntur novem psalmi dominicae cum suis antiphonis.

(²) Neo-presbyteri tenentur ad celebrationem trium missarum votivarum, diebus a rubricis permissis (D 2802, IV); earum applicatio eis relinquitur libera; laudabiliter tamen una ex ipsis dicetur ad intentionem sui ordinarii vel ordinatoris.

Dimissio vestium 9. Sacri ministri ad thronum manipulos deponunt et tradunt clericis de abaco.

Ministri insignium pergunt ad sacrarium ubi deponunt pluvialia, et simul cum clericis de abaco se sistunt ante thronum ad sacras vestes episcopi recipiendas.

Clerici vestitionis, unus post alium, ad thronum ascendunt et diaconus, adiuvante subdiacono, exuit episcopum sacris vestibus more solito.

Canonici suis in locis et crucifer in sacrario (si celebrat metropolita) vestes sacras deponunt et chorales assumunt.

Cum episcopus sacras vestes deposuerit, sacri ministri ad scamnum recedunt, et loco eorum accedunt diaconi assistentes, cum suetis reverentiis.

Episcopus accipit cappam a caeremoniario Imo vel a familiari suo et sacri ministri ad sacrarium recedunt.

**Gratiarum actio
et discessus
episcopi** 10. Accedunt ad episcopum ministri de libro et scotula pro gratiarum actione, et faldistorium cum pulvinari ponitur in medio ante altare.

Finita gratiarum actione, episcopus descendit ad faldistorium cum diaconis assistentibus, ubi orat aliquantulum, deinde discedit cum clero ordine quo venit.

DE SOLEMNI ORDINATIONE GENERALI AD FALDISTORIUM IN SABBATIS ORDINUM

Caput I

REGULAE SERVANDAE

118 Archiepiscopus vel episcopus coadiutor, auxiliaris, vel extraneus, de licentia vel mandato ordinarii loci, ordinationem generalem solemniter habens, celebrat ad faldistorium et utitur baculo. Ritus in hoc titulo traditus servabitur etiam a vicariis, praefectis, vel administratoribus apostolicis, ad tempus renunciatis, caractere episcopali ornatis, cum iure communi non gaudeant usu throni. CIC 308; 315 § 2, 2^o.

Cardinales archipresbyteri maiorum basilicarum Urbis iure utuntur baculo cum ordinationes habent in suis basilicis ⁽¹⁾.

Canonici vel clerus loci tenentur interesse, non secus ac si celebret ordinarius; missa dicitur de sabbato post nonam, uti pro functione ad thronum; ordinatio fiet, quantum fieri poterit, in ecclesia cathedrali vel principali loci.

1. EPISCOPUS utitur habitu praelatio proprio, exclusa cappa pontificali, nisi sit administrator dioecesis.

Pontifex facit praeparationem ac sacras vestes sumit in sacrario seu secretario, alio ab illo in quo sacras vestes sumunt ordinandi ac ministri.

Si tamen in ecclesia, ubi fit ordinatio, officium divinum non solet recitari, et pontifex uti possit cappa, licebit ei sacras vestes in presbyterio induere et deponere (D 2010), sed consultius se vestibus induit in sacrario, ibique in fine eas deponit ⁽²⁾.

⁽¹⁾ Recens responsio commissionis ad CIC interpretandum, de baculo non adhibendo a cardinalibus archipresbyteris basilicarum maiorum Urbis, se refert ad functiones ordinarias et per annum, et non ad functiones PR pro quibus usus baculi praecipitur. AAS 1934, p. 493.

⁽²⁾ Vestitio episcopi in presbyterio non commendatur, nam chorus non est locus proprius vestitionis pro missa pontificali, propterea dicit CE (II, 8, 1) *Antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum esse ut praeparatio ad missam et vestitio episcopi fiat in aliquo sacello seu secretario*. Verum est verba CE principaliter se referre ad missam pontificalem ad thronum; sed rationes eadem sunt: vestitio ad altare non est privilegium ordinis pontificalis (comparatio cum vestitione pro missa lecta claudicat); vestitio ad altare minime concurret ad splendorem ordinis pontificalis, nec ad fidelium aedificationem; praeterea functiones pontificales iam ex se protrahuntur, nec debemus fidelibus imponere obligationem assistentiae praeparationi et vestitioni episcopi. Solemnior evadit ritus si

Episcopus tum ad faldistorium missae tum ad faldistorium ordinationis, se vertit ad altare iuxta regulam datam sub n. 81, 7.

2. ARCHIDIACONUS erit presbyter assistens; si archidiaconus non adsit, unus e dignioribus cleri fungitur simul officio archidiaconi et presbyteri assistentis; tempore ordinationum recedit ad scabellum in plano a latere evangelii, vel ad primum locum chori.

3. CLERUS ORDINATIONIS idem est ac pro functione ad thronum, exceptis diaconis assistentibus.

4. CLERICI OMNES profundam capitis reverentiam conficiunt episcopo in faldistorio missae sedenti cum ad eum accedunt vel ab eo recedunt, vel ante eum transeunt, licet de ea in sequenti capitulo non semper fiat mentio. Quando tamen accedunt, vel recedunt ab episcopo sedente in faldistorio ordinationis, cum genuflectere debent cruci, in ea genuflexione includitur reverentia episcopo, non proinde denuo facienda post genuflexionem.

5. REGULAE GENERALES tituli II (nn. 81 ad 92), exceptis quae ad thronum se referunt, observari debent cum ordinatio in faldistorio peragitur.

6. SACERDOTES MANUS IMPOSITURI, saltem tres et non plus quam duodecim, inde ab initio functionis utentur planetis super superpellicem, vel super rochetum cum amictu, si eius gaudeant usu; vel capitulum ecclesiae cathedralis sacras vestes assumat non secus ac si functio ad thronum peragatur, propter impositionem manuum presbyteris.

Caput II

DE PRAEPARANDIS

COLOR : violaceus — rubeus sabbato Pentecostes

119

ART. I — IN SACRARIO

Ut in n. 93, sed omissis vestibis pro diaconis assistentibus, pro crucifero et pro ministris insignium.

episcopus sacris vestibus paratus, cum suis ministris, ingressum habeat ad introitum, qui tunc revera est introitus. Vide notam 1, p. 197.

SRC decrevit episcopum ad faldistorium celebrantem sine cappa pontificali vestiri debere in sacrario seu sacello (D 2010, I) et paucissimi episcopi qui celebrant ad faldistorium ius habent cappae. Tamen auctores quidam cum MM solvunt quaestionem per dimidium, et faciunt episcopum praeparationem facere in sacrario, ibique caligas et sandalia accipere, deinde ad altare accedere in habitu praelatitio cum ministris paratis (!) ut ceteras vestes pontificales induat. Sed huiusmodi partitio eiusdem ritus, seu initium in sacrario et complementum ad altare congruis rationibus non comprobatur, immo potius reprobat.

PRO PRESBYTERO ASSISTENTE:

Pluviale et amictus.

Pontificale parvum.

PRO SACERDOTIBUS MANUS IMPOSITURIS:

Planetæ.

120

ART. II — IN LOCO VESTITIONIS EPISCOPI

In sacrario, diverso ab illo in quo ordinandi et ministri se sacris vestibus induunt, parentur quæ necessaria sunt pro vestitione episcopi, ut sequitur:

SEDES CAMERALIS (in parvo suppedaneo si talis habeatur usus), super tapeto.

SACRAE VESTES EPISCOPI super altari, si aderit, secus super mensa ampla, alba tobalea cooperta, ubi commodius, iuxta dispositionem loci, videlicet:

Planeta; chirothecæ in lance; dalmatica et tunica; stola; alba cum cingulo; amictus; quæ omnia velo cooperiuntur. A latere evangelii mitra simplex; in sabbato Pentecostes mitra simplex ponitur a latere epistolæ, et mitra pretiosa a latere evangelii.

Baculus pastoralis contra mensam.

SUPER MENSA MINORE, alba tobalea cooperta:

Candelabra duo cum candelis pro ceroferariis.

Caligæ et sandalia in lance, velo cooperta (si episcopus in sacrario se vestit).

Epistolæ et Evangelia cum manipulo episcopi.

Canon pontificalis et scotula.

Manipuli ministrorum.

Urceus cum pelvi et manutergia duo in lance.

Vela serica duo pro mitra et baculo.

121

ART. III — IN PRESBYTERIO

SUPER ALTARI aderunt sex tantum candelabra; cetera ut pro ordinatione ad thronum.

ANTE ALTARE A CORNU EPISTOLÆ:

Faldistorium sua veste coopertum. Laudabiliter ponetur parvum stratum ad altitudinem ultimi gradus altaris, tapeto proprio coopertum, super quo locabitur faldistorium toto tempore functionis.

A LATERE EVANGELII:

Faldistorium alterum sua veste ornatum, quantum fieri poterit leve, ut commode transportari possit, cum pulvinari eiusdem coloris.

ABACUS MISSAE a latere epistolae, alba tobalea coopertus, super quo parentur:

Calix et patena cum hostia, purificatorio et palla.

Velum subdiaconi super calicem extensum.

Bursa cum corporali, super velo.

Velum parvum calicis plicatum.

Pyxis cum hostiis pro ordinandis, tot quot erunt communicandi.

Tobalea alba pro communione.

Ampullae vini et aquae.

Campanula.

Urceus cum pelvi.

Manutergia in lance.

Missale.

Gremiale.

ABACUS ORDINATIONIS a latere epistolae, alba tobalea coopertus, super quo parentur omnia quae pro ordinatione ad thronum praescripta sunt.

SUPER MENSA ALIA (extra ambitum oculorum) parentur quae necessaria sunt pro lotionem manuum neo-presbyterorum, et canistrum ad recipiendas candelas.

SCAMNUM MINISTRORUM a latere epistolae prope faldistorium.

PRO ORDINANDIS IN CHORO:

Scamna oblonga.

AD USUM NEO-PRESBYTERORUM post offertorium tantum:

Scamna oblonga, vel scabella seu genuflexoria lignea, cum missalibus maioribus, signaculis positis in foliis legendis, tot quot erunt ordinandi.

LEGILE NUDUM pro cantu lectionum, cooperiendum pro cantu evangelii.

PRO ORDINANDORUM PROSTRATIONE:

Pulvinaria violacea lanea parvula, tot quot ordinandi in maioribus, si soleant adhiberi.

¶ Modum vestiendi ordinandos habes sub n. 96.

¶ Si episcopus se vestiat in presbyterio, ibidem parentur omnia de quibus sub n. 120 habentur, excepta sede episcopi, et vestes eius gremiali cooperientur. Pulvinar ponetur super ultimum gradum altaris pro oratione episcopi cum ad altare advenit.

Caput III

RITUS SERVANDUS.

122

ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Adventus episcopi 1. Caeremoniarii imi munus erit determinare initium vestitionis episcopi, ita ut finem habeat cum in choro finitur cantus nonae.

Pontifex, cum tempus erit, ibit ad ecclesiam calceatis pedibus, et recipietur a caeremoniario 1º, qui ei dabit aspersorium tangendum, vel privatim ingreditur et perget ad sacrarium, ubi, facta cruci reverentia, sedet in sede sibi parata.

Praeparatio ad Missam 2. Presbyter assistens in habitu choralis, facta episcopo reverentia, se sistit a dextris eius; ministri de libro et scotula se sistunt ante pontificem, scotula a sinistris, eique reverenter se inclinant.

Episcopus solus secrete recitat psalmos praeparationis, usque ad repetitionem antiphonae inclusive, presbytero assistente folias vertente.

Cum episcopus incipit legere psalmos praeparationis, vel etiam prius, caeremoniarius 2us invitat sacros ministros ad vestes suas induendas, exceptis manipulis, in quo adiuvantur ab acolythis. Caeremoniarius ordinandorum curam habebit ut ordinandi vestes sacras capiant modo tradito in tit. II, n. 96.

Episcopus, repetita antiphona, assurgit sine bireto ad versiculos et preces recitandas, deinde sedet et legit orationes pro vestitione, quibus expletis, discedunt ministri de libro et scotula.

1º lotio manuum episcopi 3. Caeremoniarius 1us, accepto bireto episcopi, quod suo familiari tradit, exuit pontificem cruce pectorali et manteleto. Vestes chorales episcopi tradentur cubiculario eius et crux pectoralis ponitur in lance.

Ministri lotionis coram episcopo sistunt cum ministro de gremiali cum lance ad recipiendum annulum, qui, accepto bireto et presbytero assistente mantile praesentante, de more lavat manus. Finita lotione, discedunt cum solita reverentia ministri et assistens.

Vestitio episcopi 4. Sacri ministri, facta reverentia episcopo, se sistunt utrimque, diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris eius.

Caeremoniarius 2us, cum episcopus incipit deponere vestes chorales, vel paulo ante, vestes eius distribuit ministris abaci et insignium.

Accedunt clerici cum sacris vestibus ad episcopum, qui a diacono, auxiliante subdiacono, solito more induitur, usque ad mitram inclusive.

Assistens presbyter, cum discedit ab episcopo, induit amictum et pluviale.

Finita vestitione episcopi, sacri ministri, facta ei reverentia, recedunt et accipiunt manipulos.

Presbyter assistens, recedentibus sacris ministris, ad episcopum accedit, et, facta reverentia, ei imponit annulum cum osculis de more, et se sistit a dextris eius.

Sacri ministri ad episcopum revertuntur, et, facta ei reverentia, se sistunt in ordine a sinistris eius.

¶ Ordo pro vestitione et lotionem manuum traditus servabitur etiam si episcopus in presbyterio induat sacras vestes.

Acolythy accipiunt candelabra et se sistunt ante crucem sacrarii cumthuriferario thuribulum gestante. Minister de libro cum canone et minister de scotula, una cum ministris de mitra et baculo, locum sumunt hinc inde prope episcopum; in sabbato Pentecostes minister de mitra accipit mitram simplicem.

Introitus ordinandorum

5. Finita in choro recitatione horae nonae, et in sacrario vestitione episcopi, ad nutum caeremoniarum imi, ordinandi bini cum candelis accensis in manu dextera, incipientes a dignioribus, praecedente eorum caeremoniario, facta cruci sacrarii reverentia, ad presbyterium accedunt ⁽¹⁾.

Cum intrant, reverentiam praebent choro, qui assurgit, genuflectunt bini ad crucem, ad loca sua se conferunt, ubi candelas accensas in manibus tenebunt.

Iter episcopi ad altare

6. Pontifex exspectat sedens quousque ordinandi ad chorum pervenerint, deinde assurgit, accepto baculo, et se sistit cum suis ministris ante crucem sacrarii, cui reverenter se inclinat una cum suis ministris; deinde ibit ad altare, quo sequitur ordine:

Thuriferarius cum thuribulo ardente in manu sinistra.

Acolythy cum candelabris.

Minister de gremiali.

Subdiaconus cum evangelistario et manipulo episcopi.

Episcopus, cum presbytero assistente a dextris et diacono a sinistris, paulo ante eum.

⁽¹⁾ Fecimus ordinandos in chorum intrare primum, et postea episcopum cum suis ministris; ratio est quia non agitur de introitu solenni seu processionali, quod cum non fiat pro ordinatione ad thronum, nec fieri debet pro ordinatione ad faldistorium.

Ministri de mitra et baculo.

Ministri de libro et scotula.

Familiares episcopi.

¶ Si introitus sit processionalis cum cruce et ordinandis, fit benedictio et impositio incensi in sacrario et ordinandi procedunt ordine in n. 97, 5, tradito.

Ad chorum cum pervenerint, episcopus et ministri eum reverentia honorabunt, episcopus vero minima capitis tantum inclinatione.

Ministri inferiores, post reverentiam choro, quam faciunt una cum episcopo, genuflectunt ad crucem, et se sistunt ad abacum.

Episcopus cum assistente a dextris, diacono a sinistris, et subdiacono a sinistris diaconi, se sistit ante ultimum gradum altaris, ubi, reddito baculo ministro, et amota mitra a diacono, facit cum illis profundam inclinationem cruci; caeremoniarius 2us accipit bireta ministrorum quae super scamna reponit, deinde accepto libro evangeliorum cum manipulo episcopi genua flectit a sinistris subdiaconi.

¶ Sacri ministri et assistens, si non sint canonici in sua dioecesi vel praelati, hic et ubique genuflexionem faciunt cruci altaris.

Ordinandi candelas suas extinguunt, sed apud se conservant.

¶ Si episcopus vestes suas induat in presbyterio, diaconus, imposita mitra episcopo, se sistit a sinistris eius, subdiaconus a sinistris diaconi, assistens a dextris episcopi, et fit introitus ordinandorum, qui faciunt bini inclinationem episcopo, post reverentiam ad chorum et genuflexionem ad crucem, et ad loca sua accedunt. Cum omnes ad loca sua pervenerint, episcopus assurgit et, facta reverentia choro, ad altare accedit ut supra.

Initium missae 7. Missa statim incipitur more consueto ad altare et ad faldistorium usque ad *Kyrie eleison* inclusive, in sabbato *Sitientes* vero usque ad introitum inclusive.

Iter episcopi ad altare 1. Prope finem *Kyrie, eleison* et in sabbato *Sitientes* prope finem introitus, acolythi locant faldistorium alterum in medio suppedaneo et minister de libro sumit pontificale.

Finito cantu *Kyrie*, vel in sabbato *Sitientes* post introitum, episcopus, accepto baculo, accedit ad altare cum assistente a dextris, et sacris ministris a sinistris. Ante primum gradum episcopus reddit baculum, et cum suis ministris

facit reverentiam profundam cruci altaris, ad illud ascendit, et sedet in faldistorio. Diaconus se sistit a dextris episcopi, subdiaconus pergit ad sinistram, et assistens presbyter a dextris diaconi versus cornu evangelii ibit.

**Vocatio
et admonitio
generalis**

2. Omnia fiunt ut in n. 98, 2.

**Initiatio
clericorum**

3. A vocatione clericorum usque ad eorum dimissionem, proceditur ut in n. 98. Presbyter assistens, finita vocatione clericandorum, recedit, facta reverentia simul cruci et episcopo, ad illum locum chori a parte evangelii, vel si chorus non aderit, ad scabellum a latere evangelii.

**Regula
pro ordinandis**

4. Ordinandi, cum accedunt ante medium altaris vel ad suppedaneum seu ab eo recedunt, genuflexionem cruci faciunt, in qua includitur reverentia episcopo facienda, et, post ordinationem, sine reverentia ad chorum, ad loca sua redeunt, quod etiam observabitur pro ordinibus sequentibus.

124

ART. III — CONTINUATIO MISSAE

**Iter episcopi ad
faldistorium
missae**

1. Clericis ad loca sua reversis, episcopus, accepto baculo, medius inter suos ministros, surgit et descendit in planum ante altare.

Presbyter assistens se sistit a dextris episcopi, diaconus a sinistris, subdiaconus a sinistris diaconi, et omnes reverentur crucem, et ad faldistorium missae accedunt.

**Cantus
1^{ae} collectae**

2. Episcopus sedet, reddit baculum, et deponit mitram. Ministri de libro et scotula se sistunt coram faldistorio, tergo altari obverso. Episcopus ad altare super sinistram suam se vertit, presbyter assistens se sistit a dextris eius, sacri ministri unus post alium stant. Episcopus canit *Oremus*, diaconus *Flectamus genua* et *Levate*, et, presbytero assistente prope librum adstante, canit episcopus iam collectam.

¶ In sabbato Pentecostes *Flectamus genua* hic et ubique in missa omittitur.

Finita oratione, episcopus se vertit super dexteram suam, sedet, et a diacono induitur mitra et accipit gremiale.

¶ Dum canitur collecta, caeremoniarius 2us vel acolythus legile nudum cum epistolario ponit in medio chori.

Cantus
1^{ae} lectionis

3. Clericus, qui cantare debet iam lectionem, superpelliceo indutus, etiamsi gaudeat usu cappae, factis reverentiis cruci, episcopo et choro, se sistit ad legile, et ad signum caeremoniarii cantat lectionem, manibus super legili positis, quam episcopus auscultat silentio.

Cantor, finito cantu lectionis et iteratis reverentiis, directe ad locum suum in choro redit; si utitur cappa, superpelliceum deponit et cappam iterum induit.

¶ Si ordines minores erunt conferendi, legile amovebitur e medio chori post singulas lectiones si impediat ordinationem, et, ea finita, reponitur pro lectione sequenti.

¶ In sabbato *Sitientes* nulla datur oratio nec lectio, et episcopus ad faldistorium missae reversus, sedet, dimittit baculum et mitram, iterum assurgit, se vertit ad altare, sacri ministri se sistunt hinc inde, et presbyter assistens a dextris, et cum illis recitat episcopus *Kyrie, eleison*, deinde iterum se vertit, sedet et accipit mitram. Sacri ministri et assistens, facta reverentia, ad scamnum recedunt nisi cantus sit brevissimus. Interim a schola cantatur *Kyrie, eleison*.

125

ART. IV — ORDINATIO OSTIARIORUM

Iter episcopi ad
altare

1. Finito cantu 1^{ae} lectionis, et in sabbato *Sitientes* finito cantu *Kyrie, eleison*, assistens et sacri ministri assurgunt et se sistunt ante episcopum, cui faciunt debitam reverentiam.

Diaconus tollit gremiale et se sistit a sinistris episcopi, subdiaconus a sinistris diaconi, presbyter assistens a dextris episcopi stabit.

Episcopus, accepto baculo, assurgit, et cum suis ministris pergit ante primum gradum altaris, ubi facit cum illis profundam reverentiam cruci, et ad suppedaneum ascendit. Ibique, se vertens super dexteram suam, sedet et reddit baculum. Diaconus a dextris episcopi imponit ei gremiale; subdiaconus ad sinistram episcopi accedit et assistens versus cornu evangelii se sistit.

Ordinatio
ostiariorum

2. Proceditur in omnibus ut in n. 100, a vocatione ad finem.

¶ In sabbato *Sitientes*, finita ordinatione ostiariorum, immediate proceditur ad ceteros ordines minores conferendos.

126

ART. V — CONTINUATIO MISSAE

**Iter episcopi ad
faldistorium
missae**

1. Itur ad faldistorium missae ordine tradito.

**Cantus
1^{us} gradualis**

2. Episcopus sedet in faldistorio et reddit baculum; sacri ministri se sistunt a lateribus eius ut prius et ministri de libro et scotula coram eo, cum presbytero

assistente a sinistris prope librum. Praeses legit submissa voce graduale 1^{um}, quod a schola cantatur; in sabbato Pentecostes vero 1^{um} *Alleluia* cum suo versu. Finita lectione, ministri de libro et scotula recedunt, et se sistunt retro post faldistorium, tergo altari obverso.

**Cantus
2^a collectae**

3. Prope finem cantus, diaconus tollit mitram episcopo, qui assurgit, et, ad altare se vertens, canit 2^{am} collectam, ritu servato pro cantu 1^{ae} collectae, n. 124, 2.

**Cantus
2^a lectionis**

4. Omnia fiunt ut pro cantu 1^{ae} lectionis.

127

ART. VI — ORDINATIO LECTORUM

Itur ad altare ordine tradito, sed finita 2^a lectione.
Ordinatio fit ut in n. 102, a vocatione ad finem.

128

ART. VII — CONTINUATIO MISSAE

Itur ad faldistorium missae ordine quo prius. A choro cantatur 2^{um} graduale, in sabbato Pentecostes 2^{um} *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo; qui deinde canit 3^{am} collectam. Lectio 3^a cantabitur ab uno e lectoribus modo ordinatis, et omnia fiunt ut prius.

129

ART. VIII — ORDINATIO EXORCISTARUM

Itur ad altare ut prius, sed finita 3^a lectione.
Ordinatio fit ut in n. 104 a vocatione ad finem.

130

ART. IX — CONTINUATIO MISSAE

Itur ad faldistorium missae et omnia fiunt ut prius, sed cantatur 3^{um} graduale, vel 3^{um} *Alleluia* cum suo versu, quod legitur submissa voce ab episcopo, qui deinde canit 4^{am} collectam; lectio 4^a cantabitur a lectore vel exorcista neo-ordinato, ordine tradito.

131 ART. X — ORDINATIO ACOLYTHORUM

Itur ad altare ordine tradito, sed finita 4^a lectione. Ad ordinationem proceditur ut in n. 106 a vocatione ad finem.

132 ART. XI — CONTINUATIO MISSAE

Itur ad faldistorium missae et omnia fiunt ut prius, sed cantatur 4^{um} graduale, vel 4^{um} *Alleluia* cum suo versu, quod legitur ab episcopo, qui deinde canit 5^{am} collectam; lectio 5^a cantabitur a neo-ordinato ut de more. Finita lectione legile amovebitur.

133 ART. XII — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Itur ad altare ut prius, sed post lectionem 5^{am}; in sabbato *Sitientes* post collectas missae. Ordinatio fit ut in n. 108 a vocatione ad finem.

134 ART. XIII — CONTINUATIO MISSAE

Iter episcopi ad faldistorium missae 1. Episcopus, accepto baculo, revertitur ad faldistorium missae cum suis ministris uti prius, ubi sedet, reddit baculum et accipit gremiale.

Continuatio missae 2. Sacri ministri se sistunt a lateribus episcopi et assistens presbyter a sinistris episcopi paulo ante subdiaconum; ministri de libro et scotula se sistunt coram episcopo qui legit canticum Danielis, quod a schola cantatur. Finita lectione, recedunt ministri de libro et scotula.

Prope finem hymni, diaconus episcopo tollit gremiale et mitram, qui assurgit et canit *Dominus vobiscum*, se vertit deinde ad altare et canit orationem missae sub unica conclusione cum alia pro ordinandis.

¶ In sabbato *Sitientes*, omisso cantico Danielis, immediate proceditur ad cantum epistolae ut infra.

¶ In sabbato Pentecostes, loco cantici Danielis, cantatur 5^{um} *Alleluia* cum suo versu, quod legitur ab episcopo ordine quo prius, et, dicto *Pax vobis* episcopus canit collectas ut supra.

Epistola 3. Finitis orationibus, episcopus ad ordinandos se vertit, sedet in faldistorio, et accipit mitram et gremiale.

Legile apponitur in loco ubi solet legi epistola. Caeremoniarius 2^{us} invitat 1^{um} subdiaconum neo-ordinatum, tunica indutum, vel subdiaconum unicum, si unicus ordinatus fuit, ad cantandam epistolam. Subdiaconus, accepto libro, facit cum caeremoniario 2^o genuflexionem ad crucem, deinde reverentiam

episcopo et choro, et canit epistolam in loco solito, quam episcopus silentio auscultat. Finita epistola, neo-subdiaconus facit in medio genuflexionem cruci, deinde reverentiam choro, accedit ante episcopum, et, facta ei reverentia, flexis genibus annulum osculatur; iterata reverentia et tradito libro caeremoniario, subdiaconus ad locum suum recedit.

¶ Si nullus fuit ordinatus in subdiaconum, epistola cantatur a subdiacono missae. Post cantum epistolae legile amovebitur.

135 ART. XIV — ORDINATIO DIACONORUM

Finita epistola, episcopus, dimisso gremiali et accepto baculo, vadit cum suis ministris ad faldistorium ordinationis, prout fecit prius; sedet, dimittit baculum et accipit gremiale.

Proceditur ad ordinationem ut in n. 110 a vocatione ad finem.

¶ Si nullus sit in diaconum ordinandus, episcopus statim legit quae sequuntur ut in numero sequenti.

136 ART. XV — CONTINUATIO MISSAE

Episcopus, accepto baculo, revertitur ad faldistorium missae cum suis ministris, ordine quo prius, et sedet ibi ac reddit baculum. Sacri ministri se sistunt hinc inde et accedunt ministri de libro et scotula. Episcopus, cum assistente presbytero a sua sinistra ad librum, legit tractum, in sabbato *Sitientes* graduale usque ad ultimum versum exclusive. In sabbato Pentecostes episcopus, accepto gremiali, legit totum tractum et subinde sequentiam, sed usque ad ultimam stropham exclusive. Interim a schola cantatur tractus, graduale vel sequentia ut supra.

Finita lectione ab episcopo, recedunt ministri de libro et scotula, et sacri ministri ac presbyter assistens redeunt ad scamnum, si cantus id permittat.

137 ART. XVI — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Finito cantu, episcopus, accepto baculo, et in sabbato Pentecostes etiam deposito gremiali, ad faldistorium ordinationis accedit cum suis ministris, ordine quo prius.

Ordinatio fit ut in n. 112, a vocatione ad finem; quoad impositionem manuum, tamen, observa:

Canonici et sacerdotes, qui manus imponere debent, induunt stolam coloris missae, nisi iam sint induti planetis. Canonicis qui forte utuntur cappa vel palliolo licebit, pro hac functione tantum, accipere stolam super habitum

choralem ⁽¹⁾. Sacri ministri, etsi sint sacerdotes, ab impositione manuum abstinébunt. Archidiaconus primo loco manus imponit, etiamsi aderint dignitates ipsi superiores.

Finita ordinatione presbyterorum, amovebitur faldistorium ordinationis.

138

ART. XVII — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

**Iter episcopi ad
faldistorium
missae**

1. Episcopus, cum suis ministris, accepto baculo, ad faldistorium missae revertitur solito more, sedet, dimittit baculum, et accipit gremiale. Sacri ministri et presbyter assistens se sistunt ut prius ad faldistorium.

**Continuatio
missae**

2. Ministri de libro et scotula se sistunt ante episcopum, qui legit ultimum versum tractus, sive gradualis in sabbato *Sitientes*, vel in sabbato Pentecostes ultimam stropham sequentiae, quae a schola cantatur. Finita lectione, ministri de libro et scotula, facta reverentia, recedunt.

Legile apponitur in loco ubi evangelium erit cantandum.

Evangelium

3. Caeremoniarius 2us invitabit unum ex diaconis nuper ordinatis ad illud cantandum. Diaconus dalmatica indutus, cum subdiacono qui cantavit epistolam a sinistris, se sistit ante gradus altaris; caeremoniarius 2us evangelistarium diacono tradit, qui, facta reverentia choro et genuflexione ad crucem, ascendit ad suppedaneum, librum super altare locat, et descendit in planum.

Acceditthuriferarius et episcopus, diacono naviculam ministrante, more solito incensum benedicit, imponitque thuribulo.


Interim neo-diaconus, flexis genibus in infimo gradu altaris, recitat *Munda cor meum*, deinde assurgit, ascendit ad capiendum librum et in planum descendit. Acolythi cum cereis et thuriferarius cum caeremoniario 2º, se sistunt retro post diaconum et subdiaconum, ut in missa solemni; et, facta genuflexione ad crucem, pergunt ante episcopum. Post reverentiam episcopo, neo-diaconus flexis genibus petit benedictionem et osculatur annulum episcopi de more.

Proceditur solito more, post debitas reverentias episcopo, cruci et choro, ad cantum evangelii. Ante initium cantus, diaconus missae tollit episcopo

(1) Iuxta usum Archibasilicae Lateranensis, canonici manus imposituri accipiunt stolam super cappam, et SRC talem usum approbavit, D 3059, XXIII. Verum est stolam exigere superpelliceum; sed agitur de exceptione legi generali, eo quod stola ad momentum tantum adhibetur, et valde inconveniens esset cappam deponere et accipere superpelliceum, et statim iterum deponere superpelliceum et induere cappam. Idem dicendum de canonicis qui palliolo utuntur et de praelatis qui utuntur manteletto. Gaudent enim ii in casu favore legis propter allatam rationem.

ORDINATIONES

8) • OFFERTORIUM CANDELARUM AD FALDISTORIUM



gremiale et mitram, et remanet cum subdiacono hinc inde. Episcopus assurgit et accipit baculum quem tenet iunctis manibus et neo-diaconus canit evangelium dum subdiaconus manus legili apponit.

Finito cantu evangelii, neo-subdiaconus portat librum ad episcopum qui, reddito baculo, osculatur librum. Neo-subdiaconus tradit librum caere-
moniaro 2º et denuo revertitur in medium a sinistris neo-diaconi. Acolythi, facta genuflexione cruci, ad abacum revertuntur. Diaconus missae se sistit ante episcopum et, accepto thuribulo a thuriferario a dextris eius, ter episcopum incensat de more.

Neo-diaconus et neo-subdiaconus ad loca sua revertuntur, et thuriferarius discedit.

Legile removebitur non amplius adhibendum.

Sacri ministri se sistunt unus post alium, et episcopus canit *Dominus vobiscum*, et, super sinistram suam se vertens, canit *Oremus*. Accedunt ministri de libro et scotula et episcopus cum sacris ministris utrimque, et assistente prope librum, legit offertorium; deinde, iterum se vertens, sedet et a diacono induitur mitra, qui genibus eius ponit gremiale lineum, et, adiuvente subdiacono, faldistorio aptat. Diaconus remanet a dextris episcopi, subdiaconus a sinistris, et assistens a sinistris prope librum.

¶ Si nullus fuit ordinatus diaconus, evangelium cantabitur de more a diacono missae, ministrante subdiacono missae.

¶ In sabbato Pentecostes episcopus, recepta incensatione, se vertit ad altare et intonat *Credo*. Post *Incarnatus est* diaconus missae portat corporale in bursa super altare extendendum. Cum sedet ad offertorium, episcopus induit mitram pretiosam. Cetera fiunt solito more.

Praesentatio candelarum

4. Caeremoniarius ordinandorum, adiuvantibus clericis de abaco, candelas ardentes tradit omnibus ordinatis, qui, uno ordine dispositi, a maioribus ad minores, se sistunt in medio presbyterii. Clerici de abaco (2us cum canistro) se sistunt a dextris diaconi. Ordinati, unus post alium, facta genuflexione cruci (si transeant ante illam), pergunt ante faldistorium, ubi, facta episcopo inclinatione, flexis genibus offerunt, cum osculo manus episcopi tantum, candelam quisque suam. Deinde assurgunt, inclinationem episcopo iterant, et, facta in medio presbyterii genuflexione cruci, ad loca sua in choro revertuntur. Episcopus, prout accipit candelas, eas tradit diacono, qui eas tradit 1º acolytho, qui exstinctas in canistro reponit. Finita oblatione, recedunt acolythi, et canistrum cum candelis in sacrario reponitur. Diagramma IX.

¶ Si ordinandorum numerus sit magnus, candelarum oblatio fieri poterit a 1mo ordinato uniuscuiusque ordinis et a 1mo clerico, qui ad episcopum accedunt ordine tradito. D 2883, IV.

¶ Incepto offertorio, vel paulo antea, sacristae parabunt scamnia cum missalibus, ad usum neo-presbyterorum, ita tamen ut non impendant transitum pontificis, nec ordinatorum cum accedunt ad communionem.

**4^a lotio manuum
episcopi**

5. Finita traditione candelarum, accedit ad faldistorium minister de gremiali cum lance, et diaconus accipit annulum episcopi; deinde exiit eum chirotheca dexteræ manus, et subdiaconus chirotheca sinistræ manus, et recedit minister de gremiali. Accedunt ministri lotionis, et episcopus manus lavat, presbytero assistente mantile ministrante, qui deinde imponit annulum digito episcopi. Recedunt ministri lotionis, et diaconus tollit gremiale linteum, quod tradit ministro de gremiali.

Dum episcopus lavat manus, caeremoniarius ordinandorum vocabit neo-presbyteros, cum suis assistantibus, superpelliceis indutis, ut se sistant ad scamna sua ante altare. Assistentes locum occupant a sinistris presbyteri cui assistunt, vel, si aderit unus pro duobus, medius inter illos; qui omnes flectunt genua priusquam episcopus ad altare accedat.

Minister de libro, per breviorē viam, portat ad latus evangelii altaris legile seu cussinum cum missali, et canonem apertum in medio altaris ponit ac recedit.

139

ART. XVIII — CONCELEBRATIO MISSAE

**Iter episcopi ad
altare**

1. Episcopus, accepto baculo, assurgit, et cum presbytero assistente a dextris et diacono a sinistris, facta reverentia choro, ante altare se sistit, ubi, reddito baculo et deposita mitra, facit cum illis debitam reverentiam et ad suppedaneum ascendit.

Assistens locum mutat cum diacono qui ascendit a dextris. Subdiaconus interim pergit directe ad abacum, ubi induit velum humerale.

Missam episcopus prosequitur de more iuxta regulas pro missa ad faldistorium. Chorus, post reverentiam episcopo, sedet, sed neo-presbyteri manent genuflexi.

**Regulae
pro episcopo**

2. Ut in n. 114, 2.

**Regulae pro
neo-presbyteris**

3. Ut in n. 114, 3.

Incensatio 4. Diaconus, incensato episcopo, incensat canonicos et praelatos in choro, si aderint, deinde presbyterum assistentem et subdiaconum, postea neo-presbyteros genuflexos, deinde neo-diaconos et neo-subdiaconos; et reddit thuribulum ministro, qui eum incensat. Thuriferarius deinde incensat reliquos de choro et populum.

Funalia 5. Ut in n. 114, 5.

Pax 6. Episcopus de more pacem dat presbytero assistenti, qui eam dat choro et diacono missae, deinde episcopus pacem dat 1^o presbytero, 1^o diacono, et 1^o subdiacono, et proceditur ut in n. 114, 7.

140 ART. XIX — COMMUNIO ORDINATORUM

Communio presbyterorum 1. Proceditur in omnibus ut in n. 115, 1, sed episcopus portat pyxidem.

Communio ceterorum 2. Proceditur in omnibus ut in n. 115, 2, sed episcopus portat pyxidem.

Ablutiones et 6^a lotio manuum episcopi 3. Ut in n. 115, 3, sed, finita lotionem manuum, presbyter assistens solus ad chorum recedit.

141 ART. XX — RITUS AD ORDINATIONEM PRESBYTERORUM COMPLENDAM

Proceditur in omnibus ut in n. 116.

Ad obedientiam pontifex dicit *Promittis Pontifici ordinario tuo* etc., vel *Praelato* pro regularibus.

142 ART. XXI — FINIS MISSAE

Ritus finales missae et paenitentia 1. Proceditur ut pro functione ad thronum, n. 117. Post benedictionem non publicantur indulgentiae.

Ultimum evangelium 2. Episcopus, deposita mitra, assurgit, et ad latus evangelii se confert, ubi dicit cum neo-presbyteris stantibus *Dominus vobiscum*, deinde recitat ibidem cum illis initium evangelii sancti Ioannis. Ad *et Verbum caro factum est* omnes suis locis genuflectunt.

Cum episcopus incipit recitare evangelium, acolythi faldistorium ordinationis amoveant.

Dum recitatur ultimum evangelium, acolythi cum ceroferariis se sistunt in medio ante altare, cum ministris de mitra et baculo a latere evangelii, et ministris de libro et scotula a latere epistolae.

Recessus episcopi 3. Episcopus, finito evangelio, induitur mitra a diacono, et, accepto baculo, se sistit in medio altaris, ubi facta capitis inclinatione ad crucem, descendit in planum cum suis ministris. Episcopus cum assistente a dextris, et sacris ministris a sinistris, facit cruci profundam reverentiam; acolythi, ministri insignium ac caeremoniarii genuflectunt. Deinde, ordine quo venerunt, et facta choro reverentia, episcopus ad sacrarium revertitur cum suis ministris.

Recessus ordinatorum 4. Postquam episcopus discesserit, ordinati bini, incipientes a presbyteris, facta genuflexione cruci et reverentia choro, redeunt ad sacrarium, vel recedunt una cum episcopo, ante ministros missae.

Episcopus dimittit vestes sacras 5. In sacrario, post reverentiam cruci, episcopus sedet. Presbyter assistens, facta ei reverentia, discedit, et sacri ministri dimittunt manipulos, et se sistunt a lateribus episcopi, qui de more sacras dimittit vestes.

Deinde recedunt sacri ministri ad deponendas vestes sacras, et accedit assistens in habitu choralis. Episcopus accepto habitu choralis de more legit gratiarum actionem, ac deinde discedit in pace.

Ordinati dimittunt vestes sacras 6. Ordinati dimittunt vestes sacras in loco ubi eas induerunt et gratias Deo et episcopo agunt pro ordine recepto.

¶ Si episcopus vestes sacras in presbyterio deponat, facta reverentia cruci altaris et choro, vadit ad faldistorium missae, ubi sedet et dimittit baculum. Deinde ordinati, cum reverentiis episcopo et choro et genuflexione ad crucem, recedunt ordine quo venerunt. Episcopus vestes sacras deponit ordine tradito, et, post gratiarum actionem, discedit in pace.

**DE ORDINIBUS MAIORIBUS SOLEMNITER CON-
FERENDIS UNI VEL PLURIBUS EXTRA TEM-
PORA**

PARS I AD THRONUM

Caput I

PRAENOTANDA ET REGULAE SERVANDAE

- 143** Gravi de causa licet ordines maiores conferre in dominicis per annum vel festis de praecepto, ut in n, 69 habetur.

MISSA dicitur post tertiam prout iacet in calendario diei ecclesiae ordinationis, sed additur oratio pro collatione ordinum sub unica conclusione cum oratione missae diei.

RESCRIPTUM. Lectio rescripti apostolici a PR praescripta, post promulgationem CIC locum amplius non habet, nisi ubi, ex specialissimo privilegio, ordinatio fit in aliquo sabbato extra quinque sabbata de iure, vel in aliquo festo quod non sit de praecepto servando. Mandatum apostolicum in casu legitur ante collationem subdiaconatus et, lecto mandato, pontifex dicit *Deo gratias*.

CLERUS ORDINATIONIS idem est ac pro missa in sabbatis ordinum, n. 79, sed pro elevatione Sacramenti aderunt clerici sex vel ad summum octo cum intorticiis, si ordinatio fiat in solemnitatibus.

- 144** REGULAE SERVANDAE eadem sunt ac pro ordinatione in sabbatis temporum (Tit. II, cap. II, nn. 80-92), sed observa:

EPISCOPUS tempore missae de more et ad offertorium utitur mitra pretiosa, nisi color diei sit violaceus, quando utitur tantum mitra simplici.

CHORUS non genuflectit ad orationem missae et ad postcommunionem, et assurgit post elevationem calicis.

INVITATIO AD GENUFLECTENDUM tempore ordinationum non est omittenda, licet omittatur in missa. D 4164.

ADMONITIO GENERALIS. Archidiaconus facit vocationem et admonitionem generalem ut in tit. II habetur, n. 98, 2, antequam ad ordinationem procedatur, etiamsi unus tantum sit ordinandus. D 3006, IV.

Caput II**DE PRAEPARANDIS**

COLOR: dominici vel festi

145 EPISCOPUS SACRAS VESTES INDUIT IN SEDE SUA:

In sacrario, ad altare ssimi. Sacramenti, et in presbyterio, disponentur omnia prout habetur in tit. II, cap. III. (n. 93, 5).

Omittuntur res quae necessariae sunt pro clericis initiandis et ordinibus minoribus conferendis, nisi eo die adsint clerici initiandi vel promovendi ad ordines minores.

146 EPISCOPUS SACRAS VESTES INDUIT IN SECRETARIO:

SUPER ALTARI SECRETARII parentur vestes episcopi velo coopertae, et a atere eius baculus pastoralis. Aderit mitra pretiosa si adhiberi licet.

SUPER MENSA SECRETARII:

Candelabra duo cum cereis pro ceroferariis.

Urceus cum pelvi.

Manutergia duo in lance.

Caligae et sandalia in lance velo cooperta (nisi episcopus ea iam domi accepit).

Canon pontificalis et scotula.

Epistolae et evangelia cum manipulo episcopi.

Breviarium chorale.

Manipuli diaconi et subdiaconi.

Vestes canonicorum et ministrorum parentur in sacrario secretarii, vel ubi parari solent, et gremiale ponitur super abacum missae.

Cetera omnia parentur ut in tit. II, cap. III, nn. 93, 94, 95, sed in solemnitatibus aderunt funalia sex, vel ad summum octo.

Caput III**RITUS SERVANDUS****147** ART. I — PRAEPARATIO ET VESTITIO

¶ Si ordinatio fiat in solemnitatibus, vel in dominicis per annum, extra Quadragesimam et Adventum, episcopus facit praeparationem ac sacras induit vestes in secretario ubi canitur hora tertia, et missa celebrabitur more solito iuxta CE II, cc. 8 et 31.

¶ Si ordinatio fiat in dominicis Adventus vel Quadragesimae, episcopus sacris vestibus induitur ad sedem suam, ibique incipit cantum tertiae, ut in n. 97 (CE II, cc. 13 et 20).

Sed etiam in diebus dominicis semper licet episcopo praeparationem facere et vestes sacras induere in secretario.

Ordinandi vestes assumunt in sacrario, et, finito cantu tertiae, ad loca sua adeant, iuxta determinationem caeremoniarum pro introitu processionali, in quo ordinandi in sacris ibunt ante canonicos paratos.

¶ Si aderint clerici initiandi locum sumunt ante acolythos cum ceroferariis, et si aderint promovendi ad ordines minores, neo-clerici et qui ordines minores receperunt, procedunt cum aliis de clero.

148 ART. II — CELEBRATIO MISSAE

Missa celebrabitur ad thronum de more usque ad collectas inclusive.

149 ART. III ORDINATIO SUBDIACONORUM

Cantatis collectis, episcopus, accepta mitra, pergīt ad altare cum suis assistantibus et cum ministris insignium ritu descripto in tit. II, n. 98, 1.

Facta admonitione (n. 98, 2), proceditur ad ordinationem subdiaconorum ut in tit. II, n. 108, 2-11.

¶ Si unus tantum aderit subdiaconus ordinandus, episcopus et archidiaconus omnia dicunt in singulari (quod observabitur pro diaconis et presbyteris), et, finita vestitione, episcopus immediate ei tradit epistolarium, qui deinde de more ad locum suum redit.

¶ Si initiandi sint clerici, episcopus ad altare procedit post introitum, vel post *Kyrie, eleison* si dicitur *Gloria*, et omnia facit ut in tit. II, n. 98, 1-11.

¶ Si promovendi sint clerici ad ordines minores, episcopus ad altare procedit post *Kyrie, eleison* vel post *Gloria* si dicatur, et quatuor ordines dat successive ut in tit. II, nn. 100, 102, 104, 106, facta prius admonitione generali, n. 98, 2.

Finita ordinatione subdiaconorum, episcopus ad thronum revertitur ordine tradito, et cantatur epistola a neo-subdiacono, n. 109, 3.

150 ART. IV — ORDINATIO DIACONORUM

Finita epistola, episcopus, ordine tradito, ibit ad altare ad diaconos ordinandos prout habetur in tit. II, n. 110.

¶ Si unus tantum diaconus ordinatur, finita vestitione, episcopus immediate ei tradit evangelistarium, qui deinde ad locum suum de more revertitur.

Finita ordinatione, episcopus denuo ad thronum redit et chorus cantat graduale, tractum vel sequentiam ut infra, quod episcopus submissa voce legit.

¶ Si ordinatio fiat ab Adventu usque ad Septuagesimam, vel a festo Ssmae. Trinitatis usque ad Adventum, vel in festis, cantatur graduale cum suo versu usque ad *Alleluia* exclusive.

¶ Si ordinatio fiat a Septuagesima usque ad dominicam I Passionis, cantatur graduale et tractus usque ad ultimum versum exclusive.

¶ Si ordinatio fiat tempore paschali cantatur *Alleluia* cum suo versu, seu usque ad 2um versum exclusive.

¶ Si dicitur sequentia prius canitur graduale, tractus, vel *Alleluia*, deinde sequentia usque ad ultimam stropham exclusive.

151 ART. V — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Finito cantu, episcopus iterum vadit ad altare cum suis ministris, ordine tradito, et proceditur ad ordinationem presbyterorum ut in tit. II, n. 112.

¶ Si unus tantum ordinandus sit presbyter, finita unctione manuum, ipse non assurgit, et caeremoniarius lus manus eius alligat, ita tamen ut possit eas in parte anteriore disiungere cum tangit calicem. Caeremoniarius praesentat episcopo medullam panis ad digitum abstergendum, deinde ei tradit calicem a sacerdote tangendum. Facta traditione, iterum caeremoniarius manus presbyteri aptat, qui assurgit et ad locum suum redit.

152 ART. VI CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

Episcopus ad thronum revertitur cum suis ministris, tradito ordine, et legit ultimum versum gradualis, tractus vel *Alleluia*, aut ultimam stropham sequentiae iuxta tempus dum cantatur a schola.

Episcopus auscultat evangelium, quod a neo-diacono cantatur; ad offertorium ordinati omnes candelas suas episcopo offerunt, qui deinde manus lavat, et cetera fiunt ut in tit. II, n. 113.

153 ART. VII — CONCELEBRATIO MISSAE ET COMMUNIO

Omnia fiunt ut in tit. II, nn. 114, 115, sed observa:

Ad *Sanctus* intrant clerici cum funalibus, et remanent flexis genibus usque post communionem ordinatorum.

¶ Si pauci sint promoti ad sacros ordines, poterit episcopus singulis pacem dare, qui omnes servabunt traditum ordinem; sin minus, episcopus pacem dabit tantum lmo cuiuscumque ordinis maioris.

¶ Si unus tantum presbyter ordinatus fuit, poterit, si velit, purificationem sumere post communionem e calice ei ad ordinationem tradito.

154

ART. VIII — RITUS FINALES ET FINIS MISSAE

Omnia fiunt ut in tit. II, nn. 116, 117.

Si episcopus dimittit vestes sacras in secretario, sequens ordo servabitur:

Episcopus, dicto *Initium sancti Evangelii* etc. cum neo-presbyteris, accipit mitram et baculum, et descendit in planum, ubi, cum suis ministris, facit profundam reverentiam cruci.

Ordinabitur regressus ad secretarium ordine servato ad ingressum. Neo-presbyteri procedunt immediate ante canonicos sacris vestibus indutos, retro post ibunt neo-diaconi et neo-subdiaconi. Episcopus recitat totum evangelium dum itur ad secretarium, nec genuflectit ad *et Verbum caro factum est*.

In secretario episcopus sedet et reddit baculum. Canonici et alii sacris vestibus induti discedunt ad illas dimittendas. Ordinati in sacris annulum episcopi, cui gratias agunt, deosculantur et recedunt in pace.

Episcopus de more sacras dimittit vestes, legit gratiarum actionem, et discedit, ordine quo venit.

PARS II AD FALDISTORIUM

Caput I

PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

155 PRAENOTANDA ut pro functione ad thronum, n. 143, sed pro elevatione Sacramenti aderunt clerici duo vel quatuor tantum.

REGULAE GENERALES ut in tit. III, n. 118 et tit. IV, n. 144.

PRAEPARANDA ut in tit. III, nn. 119, 120, 121; omittuntur tamen res necessariae pro clericis initiandis et ordinibus minoribus conferendis, nisi eo die adsint clerici initiandi vel promovendi ad ordines minores.

Mitra pretiosa praeparabitur, nisi color diei sit violaceus.

Caput II

RITUS SERVANDUS

156 ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Omnia ut in tit. III, n. 122.

Post *Kyrie*, episcopus intonat *Gloria*, exceptis dominicis Adventus et Quadragesimae, et, dicto *Pax vobis* vel *Dominus vobiscum*, cantat collectam diei cum alia pro ordinandis.

157 ART. II — ORDINATIO SUBDIACONORUM

Cantatis collectis, episcopus ad altare accedit cum presbytero assistente et sacris ministris. Ad ordinationem proceditur ut in tit. II, n. 108, cum modificationibus tit. IV, n. 149.

Finita ordinatione subdiaconorum, episcopus, cum suis ministris et assistente, ad faldistorium missae redit, ubi cantatur epistola, quae interim auscultatur ab episcopo ut in tit. III, n. 134, 3.

158 ART. III — ORDINATIO DIACONORUM

Finita epistola, ad ordinationem diaconorum proceditur, ut in tit. II, n. 110, cum modificationibus tit. IV, n. 150, et, ea finita, episcopus ad faldistorium missae legit quae legenda sunt ut in tit. III, n. 136.

159 ART. IV — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Omnia fiunt ut in tit. II, n. 112, et in tit. III, n. 137. Si unus tantum ordinandus sit, vide nn. 151 et 153.

CETERA OMNIA fiunt ut in tit. III, nn. 138-142.

¶ Si subdiaconi et diaconi non fuerunt ordinati, subdiaconus ministrans, post cantum epistolae, accepta benedictione, stans sustinebit missale ante pontificem pro lectione gradualis seu tractus. CE II, 8, 41. D 4019, I.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS SINE CANTU

PARS I

DE ORDINIBUS MAIORIBUS CONFERENDIS INTRA
MISSAM LECTAM PONTIFICALEM UNI VEL
PLURIBUS

Caput I

PRAENOTANDA

160 1. MISSA LECTA PONTIFICALIS. Licet vestes pontificales in missa solemnī supponant solemnitatem rituum, ministrorum et cantus, tamen cum, ex una parte, episcopus nequit ordines sacros conferre sine vestibus pontificalibus, et, ex alia, non potest semper missam solemnī ritu celebrare cum ordinationes maiores facere debeat, introducta fuit in liturgia missa quae dicitur *pontificalis lecta*! res quidem nova et miranda in Ritu Romano, cum sit missa pontificalis quoad vestes episcopi tantum, et lecta quoad cetera, in aureo tempore liturgiae ignota, sed hodie in usu recepta.

Licet PR supponat semper agi de missa solemnī quando ordines maiores conferuntur, tamen tres regulas dat pro ordinatione intra missam lectam, quam privatim fieri supponit.

Optandum ut magis in dies ad ordinationes solemnes cum cantu iterum deveniamus, et, excepta causa gravi, puta infirmitate pontificis vel defectu ministrorum, ordinatio lecta fiat tantum quando agatur de ordinatione privata facienda. Vide n. 259.

2. TEMPUS ORDINATIONIS. Consule tit. I, n. 69.

3. LOCUS ORDINATIONIS. Episcopus ordines maiores privatim conferre potest in quocumque oratorio, etiam semipublico; proinde etiam in suo oratorio personali, dummodo adsit locus sufficiens. Consule tit. I, n. 70.

4. CLERUS MINISTRANS ET ASSISTENS. Si episcopus ordinationem privatam habeat in sua cathedrali, ei inserviunt canonici tres (D 1099); quod servabitur, quantum fieri poterit, in aliis ecclesiis civitatis episcopalis.

Si ordinatio fiat in oratorio privato episcopi inserviunt capellani eius.

Si ordinatio privata fiat in ecclesia cathedrali, vel principali loci, solemnibus et generalis ad instar, episcopus praecipere potest ut capitulum vel clerus loci ordinationi intersit.

5. ORDO MISSAE habetur in titulo I, n. 78.

Caput II

CLERUS ORDINATIONIS ET REGULAE SERVANDAE

161 ADERUNT:

Episcopus celebrans.

Capellani assistentes duo.

Archidiaconus.

Caeremoniarum magistri duo.

Ministri insignium quatuor:

pro mitra, baculo, libro et candela.

Ministri ad abacum tres:

unus pro gremiali, et duo acolythi.

Familiares episcopi duo:

Secretarius, qui erit etiam notarius.

Cubicularius.

Pro elevatione Sacramenti:

Clerici duo pro funalibus.

162 REGULAE SERVANDAE

I. EPISCOPUS. Quoad mitram et baculum servabit regulas traditas pro ordinatione solenni, n. 18, 1, 2, demptis quae ad missam solennem pertinent; mitra pretiosa non est necessaria sed auriphrygiata tantum.

Clara voce sine cantu recitabit orationes omnes ac invocationes et benedictiones, ac cetera omnia quae in ordinationibus dicere debet.

Quoad positionem manuum et modum se vertendi servabit quae dicta sunt pro ordinatione solenni, n. 81, 6, 7.

2. ARCHIDIACONUS, vel qui eius supplet vices, servabit regulas pro ordinatione solenni traditas, n. 82. Tempore missae, et dum fiunt ordinationes, nisi officio suo ad altare vacet, locum sumit in primo loco chori a latere evangelii, vel si non aderit chorus, sedebit ad scabellum a latere evangelii, sed extra altare.

Deficiente archidiacono, unus e dignioribus cleri eius supplebit vices. Si ordinatio fiat privatim, capellanus assistens 1us fungatur munere archidiaconi.

3. CAPELLANI ASSISTENTES DUO tempore missae inserviunt iuxta regulas missae lectae: cum episcopus missam legit in medio altari, inde ab offertorio, 1us assistit ad missale a sinistris, et 2us stat a dextris et ministrat oblationibus. Reliquo tempore 1us stat a dextris et 2us a sinistris.

Tempore ordinationum agunt sicut sacri ministri, quorum locum tenent; nunquam sedent nec caput cooperiunt.

1us mitram et gremiale ponit et aufert ⁽¹⁾; 2us tradit et accipit baculum, nisi adierit minister de baculo.

Tum capellani, tum archidiaconus, vel qui eius vices supplet, induere debent superpelliceum, etiamsi sint canonici in sua dioecesi vel praelati. Usus cappae, mozetae, vel manteleti ad ministerium altaris, est abusus eliminandus; semper tamen licet superpelliceum super rochetum assumere, ab iis qui iure eo gaudent. DD 3203; 3700, II.

4. CAEREMONIARII servabunt ea quae sub n. 85 tradidimus, sed sufficiunt duo.

5. MINISTRI INSIGNIUM ET ABACI servabunt regulas pro ordinatione solenni traditas, iis exceptis quae ad missam solennem pertinent, nn. 86, 87.

Minister de mitra se sistit a dextris 1mi capellani toties quoties episcopus sumere vel deponere debeat mitram.

Ministri de mitra et baculo tempore missae se sistunt ut ad introitum.

Minister de gremiali stabit a sinistris 2di capellani, toties quoties episcopus accipere vel deponere debeat gremiale.

Minister de candela, tempore missae ad altare, candelam prope missale deponit vel tradit 1o capellano, et ad abacum se sistit prope ministrum de libro.

Ministri de abaco seu acolythi stabunt semper hinc inde iuxta abacum.

6. NOTARIUS servabit regulas pro ordinatione solenni traditas, nn. 88, 89.

7. ORDINANDI servabunt regulas pro ordinatione solenni traditas, n. 90.

⁽¹⁾ Capellanus assistens 1us mitram ponit et aufert, iuxta regulam pro diacono ad altare; evadit commodius episcopo si sciat se debere semper versus dexteram aliquantulum se vertere quando ponere vel deponere debet mitram; nec minister de mitra ab uno ad aliud latus se conferre tenetur; propterea gremiale ponitur et amovetur ab eodem capellano assistente 1mo eo quod in functione solenni id fit a diacono ministrante.

8. CHORUS, si aderit, tempore ordinationis servabit regulas traditas pro ordinatione solemni, n. 91, tempore missae vero, regulas missae solemnis ut sequitur ⁽¹⁾:

Nixus adstabit genibus: pro orationibus ad pedem altaris (exceptis canonicis in sua dioecesi et praelatis), a *Sanctus* ad peractam consecrationem, et pro benedictione finali. Sedere poterit dum episcopus legit epistolam et quae sequuntur; et ab offertorio usque ad initium praefationis. Reliquo tempore stabit, sicut quando episcopus manus lavat, nisi tunc genuflectat.

Chorus recitat partes missae, quae in missa solemni solent recitari.

¶ Si ordinatio fiat in sabbatis quatuor temporum, chorus sedere poterit dum episcopus legit lectiones, sed consulto stabit, ne toties ad momentum sedere teneatur; genua flectit ad *Flectamus genua*, ad orationes missae, ad postcommunionem, et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive; quae quidem regula servabitur si ordinatio fit in sabbato *Sitientes*. In sabbato Pentecostes chorus non genuflectit ad orationes, et post consecrationem surgit.

9. PULSATOR ORGANI organum sonare tantum potest ad introitum vel exitum episcopi et ordinandorum, vel tempore praeparationis et vestitionis episcopi, si tempus liturgicum sinit.

Caput III

DE PRAEPARANDIS

COLOR:

Extra tempora: missae diei.

In sabbatis ordinum: violaceus.

In sabbato Pentecostes: rubeus.

163

ART. I — IN SACRARIO

PRO SUBDIACONIS ORDINANDIS:

Amictus; albae; cingula; tunicae; manipuli.

PRO DIACONIS ORDINANDIS:

Amictus; albae; cingula; dalmaticae; stolae diaconales; manipuli.

⁽¹⁾ In missa lecta pontificali, quatenus regulae sequendae sunt a choro, missae solemnis an lectae? Regulae missae lectae sequendae esse videntur cum missa sit lecta. Sed invaluit usus sequendi regulas missae solemnis, et ita fieri debere docet MM, quem sequimur, quousque aliter declaretur a Concilio Sacris Ritibus praeposito. Sed non est necessarium ut sedeat chorus quoties episcopus se vertit ad altare ad lectiones vel alia breviter legenda, consulto stabit.

PRO PRESBYTERIS ORDINANDIS:

Amictus; albae; cingula; casulae, plicatae in parte posteriori; stolae; manipuli; mappulae lineae ad manus alligandas, super longitudinem plicatae.

PRO OMNIBUS ORDINANDIS:

Candelae semilibrae.

PRO INSERVIENTIBUS VEL ASSISTENTIBUS:

Superpellicea.

PRO ELEVATIONE SACRAMENTI:

Funalia duo.

PRO RECEPTIONE EPISCOPI:

Vasculum aquae lustralis cum hyssopo.

Crux hastata, si celebrat metropolita.

164

ART. II — AD ALTARE SSIMI SACRAMENTI

Si Sacramentum solet conservari ad altare ubi facienda est ordinatio, etiam pro ordinatione lecta removendum erit ad aliud altare, ubi paratum aderit genuflexorium cum tapeto et duobus pulvinaribus, iuxta dignitatem celebrantis, et candelae accensae, si episcopus ante et post ordinationem ad illud accedat.

165

ART. III — IN PRESBYTERIO

AD ALTARE:

Aderunt candelabra septem cum cereis, si functio sit publice facienda a loci ordinario; sex tantum si ab episcopo extraneo vel titulari. Si ordinatio fiat in oratorio privato episcopi, sufficiunt quatuor (D 2682, VIII); albae tobaleae tres; pallium sericum. Sternentur tapeta super gradus altaris et in presbyterio, propter prostrationem ordinandorum.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO:

Planeta; chirothecae in lance; dalmatica et tunica; stola; alba cum cingulo; amictus; quae omnia gremiali cooperiuntur. A latere evangelii mitra simplex si color diei sit violaceus; secus ponetur a latere epistolae, et a latere evangelii mitra pretiosa.

A latere epistolae aderit baculus pastoralis.

Si celebrat metropolita :

Sacrum Pallium in lance a latere evangelii, velo coopertum, spinulae aureae tres in altera lance;

Basis pro cruce a latere evangelii.

In plano a latere epistolae :

Faldistorium, sua veste coopertum; pulvinar eius tamen ponitur super ultimum gradum altaris pro oratione pontificis.

Super abaco missae, a latere epistolae alba tobalea contexto:

Candelabra duo cum cereis pro acolythis.

Calix et patena, cum hostia, purificatorio et palla, cooperta velo suo, desuper bursa cum corporali.

Pyxis cum hostiis pro ordinandis, tot quot erunt communicandi.

Tobalea alba oblonga sustinenda hinc inde ante clericos tempore communionis.

Lanx ante communicandos tenenda.

Ampullae vini et aquae in pelvicula.

Urceus cum pelvi.

Manutergia in lance.

Campanula.

Caligae et sandalia in lance, velo cooperta (si episcopus in sacrario sacras vestes assumit).

Missale cum legili.

Canon pontificalis et scotula.

Epistolae et evangelia cum manipulo episcopi.

Tabella indulgentiarum, si erunt concedendae.

Vela serica duo pro ministris de mitra et baculo.

Super abaco ordinationis, a latere etiam epistolae, prope alium, alba tobalea contexto:

Ad usum episcopi:

Ritus ordinationis in folio, in plurali vel singulari, prout opus erit.

Oleum catechumenorum in lance.

Citreum et medulla panis in lance et gossipium.

Gremiale linteum.

PRO NOTARIO:

Elenchus ordinandorum, iuxta ordinem praecedentiae et cum titulo sustentationis subdiaconorum, curiae instrumento confectus.

PRO PRESBYTERIS MANUS IMPOSITURIS:

Stolae, tot quot erunt sacerdotes manus imposituri.

PRO SUBDIACONIS ORDINANDIS:

Calix cum patena, sine elementis.

Ampullae cum vino et aqua ac manutergium in lance.

PRO PRESBYTERIS ORDINANDIS:

Calix cum vino, aqua mixto, et patena cum hostia.

Super mensa alia, extra ambitum oculorum:

Pelves cum aqua, citrea et manutergia, ad usum presbyterorum post unctionem manuum.

Canistrum ad recipiendas candelas.

PRO ORDINANDIS IN CHORO:

Scamna oblonga.

PRO NEO-PRESBYTERIS post offertorium:

Scamna oblonga, vel scabella, seu genuflexoria lignea simplicia, cum missalibus, signaculis positis in foliis legendis, tot quot erunt ordinandi.

PRO PROSTRATIONE ORDINANDORUM:

Pulvinaria lanea, violacei vel viridis coloris, tot quot ordinandi, si solent adhiberi, non tamen praelatitia.

¶ Si pauci sint ordinandi, hostiae pro ipsis super patenam praeparari possunt.

¶ Si episcopus sit loci ordinarius, seu praelatus usu throni gaudens, et ordinatio fiat cum solemnitate, parari poterit thronus a latere evangelii cum vestibis coloris missae, in quo episcopus facit praeparationem, sacras induit vestes, et in fine eas dimittit et gratiarum actionem legit, dummodo tamen indutus sit cappa pontificali. In hoc casu, faldistorium cum cussino ponitur in medio presbyterio pro oratione pontificis in initio et in fine functionis. Ad thronum non apponuntur scabella.

¶ Si praeter ordinandos in sacris, aderint clerici initiandi, vel ordinandi in minoribus, pro ipsis praeparantur quae necessaria sunt, sicut in parte 2^a huius tituli n. 178, adnotavimus.

¶ Modus vestiendi ordinandos traditur in titulo I, n. 96.

Caput IV

RITUS SERVANDUS

166

ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

**Adventus
episcopi**

1. Si episcopus sit loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, et utatur cappa pontificali, recipietur ad ianuam ecclesiae a clero qui ordinationi intervenire debet, et a digniori accipit aspersorium. Postquam se signavit, episcopus

aspergit clerum, et ad altare ssimi. Sacramenti procedit, deinde ad altare maius accedit.

¶ Si celebrans sit metropolita, aderit crucifer cum cruce.

¶ Si ordinatio privata fit ab episcopo extraneo vel titulari, recipitur a rectore ecclesiae et a caeremoniario 1º, et seipsum tantum aspergit; vitabit tamen introitum per ianuam principalem, et ad altare ordinationis accedet. Qui modus servabitur a loci ordinario, si ordinatio sine solemnitate celebranda est.

¶ Si ordinatio celebretur ad altare chorale, episcopus in sabbatis ordinum accedit finita hora nona, et in dominicis et festis de praecepto, finita hora tertia.

Episcopus, facta reverentia cruci, flexis genibus in ultimo gradu altaris, aliquantulum orat, deinde, iterata reverentia, sedet in faldistorio a latere epistolae et caput bireto cooperit.

Capellani assistentes, cum debitis reverentiis cruci et episcopo, se sistunt, 1us a dextris et 2us a sinistris faldistorii.

Ministri et inservientes locum sumunt ad abacum, et sedet chorus si aderit.

¶ Si episcopus sacras vestes ad thronum induat, cum ante altare pervenit, flectit genua ad faldistorium et orat aliquantulum, dum omnes ad loca sua adeunt. Surgit deinde episcopus, et, facta reverentia cruci, ad thronum solus accedit, sedet et caput bireto cooperit. Capellani ad thronum se sistunt, et, facta reverentia, ascendunt, 1us a dextris et 2us a sinistris.

¶ Si celebrans sit metropolita, crucifer crucem locat in sua basi versus latus evangelii, ubi remanebit toto tempore missae et ordinationum, una benedictione finali excepta. Cum episcopus accipit vestes sacras, crucifer, deposita cappa vel *crocea*, induit superpelliceum.

Praeparatio 2. Se sistunt ante episcopum: ministri de libro et scotula (scotula a sinistris). Episcopus solus legit submissa voce psalmos praeparatorios ad missam.

Episcopus, repetita antiphona, assurgit cum bireto in manu et recitat *Kyrie, eleison*, versiculos et preces; iterum sedet et accipit biretum, ac legit orationes vestitionis; quibus dictis, recedunt ministri de libro et scotula.

Lotio manuum episcopi 3. Episcopus biretum deponit, et 1º capellano tradit, deinde caeremoniarius 1us exuit eum cruce et vestibis choralibus. Familiares, vel deficientibus ipsis, acolythi, cum urceo et pelvi ac manutergio in lance, accedunt ad episcopum, pro lotione manuum. Capellanus 1us extrahit annulum episcopi, et caeremoniario tradit, in lance super abacum reponendum.

Episcopus, accepto bireto, sueto more lavat manus, 2o capellano mantile ministrante, eaque finita, recedunt ministri lotionis.

Vestitio episcopi 4. Episcopus caput nudat bireto et 1mo capellano tradit, cum vestibus choralibus reponendum.

Clerici cum sacris vestibus ante episcopum se sistunt cum debitis reverentiis. Capellanus 1us, adiuvante 2o, vestit episcopum de more usque ad mitram inclusive; ultimo, capellanus 1us imponit digito eius annulum pontificalem cum suetis osculis.

¶ Si celebrans sit metropolita, vel usu pallii gaudeat, portabitur ante eum ab acolytho vel a caeremoniario 2o, concomitante ministro de gremiali cum tribus spinulis in lance. Capellanus 1us inducet episcopum pallio antequam ei imponat mitram, adiuvante 2o capellano, hoc modo:

Sacrum Pallium episcopo offert osculandum in cruce posteriori, deinde capit partem duplicem dextera manu, simplicem sinistra, et dum illud imponit, 2us capellanus manu dextera elevat partem posteriorem; statim figit 1am spinulam in parte anteriore; 2am in parte dupla sinistri humeri; deinde capellanus 2us infigit spinulam 3am in cruce posteriore. CE II, 8, n. 20.

Introitus ordinandorum 5. Ordinandi bini, incipientes a dignioribus, et praeunte caeremoniario suo, cum candelis accensis in manu dextra, et vestibus ordinis recipiendi super brachium sinistrum, ad presbyterium accedunt.

Post genuflexionem ad crucem et debitam reverentiam episcopo et choro (si aderit, et si celebrans non sit loci ordinarius vel praelatus ei superior) ordinandi ad loca sua se sistunt, et cum omnes ad ea pervenerint, genua flectunt, et candelas suas exstinguunt, sed sinistra retinent.

¶ Circa finem introitus ordinandorum caeremoniarius 2us, vel minister de libro, locat canonem pontificalem apertum in medio altari et missale cum legili a cornu epistolae, prope ipsum ponitur scotula, et minister de mitra assumit simplicem si episcopus habeat pretiosam.

Accessus episcopi ad altare 6. Cum ordinandi ad loca sua pervenerint, episcopus, accepto baculo, surgit, et, medius inter suos capellanos, sequentibus ministris de mitra a dextris et de baculo a sinistris, ad altare accedit, clerum benedicens dum transit per eum, ad quam benedictionem genuflectit clerus et ordinandi, si celebrans sit loci ordinarius, vel praelatus ei superior.

Initium missae 7. Ante gradus altaris episcopus reddit baculum 2o capellano, qui eum tradit ministro, et a 1o capellano exuitur mitra; deinde facit cruci profundam inclinationem, dum capellani genuflectunt cum ministris de mitra et baculo post ipsos.

¶ Si capellani sint canonici in sua dioecesi vel praelati, hic et per totam functionem, reverentiam profundam faciunt cruci et episcopo loco genuflexionis.

Ministri de mitra et baculo (mitra a dextris, baculus a sinistris) se sistunt retro post gradus altaris, caudatarius si aderit recedit, ceteri ministri remanent ad abacum. Chorus et omnes suis locis genua flectunt.

¶ Si episcopus utatur mitra pretiosa, minister eam ad abacum portat et secum servat auriphrygiatam.

Episcopus statim incipit missam cum suis capellanis retro post ipsum genuflexis.

Caeremoniarius 1us genua flectit a latere epistolae et caeremoniarius 2us, cum evangelistario et manipulo episcopi, a latere evangelii. Diagramma X.

¶ Capellani flexis genibus respondent *etiamsi* sint canonici in sua dioecesi vel praelati, cum missa sit lecta. D 3804, I.

Ante *Indulgentiam*, caeremoniarius 2us tradit manipulum episcopi capellano 2.º, qui, dicto *Indulgentiam* ab episcopo, assurgit et illum brachio sinistro eius aptat, ac iterum genuflectit ubi prius.

Dicto *Oremus*, assurgunt omnes, et episcopus, medius inter suos capellanos et caeremoniarios, ad altare ascendit, quod in medio osculatur; deinde osculatur initium evangelii diei, in libro a 2º capellano porrecto. Osculato libro, caeremoniarius 2us illum ad abacum ordinationis reportat (¹).

Introitus et cetera

8. Episcopus ad latus epistolae legit introitum, deinde in medio altari dicit *Kyrie*, et iterum ad latus epistolae dicit cetera de missa, usque ad 5am lectionem inclusive in sabbatis quatuor temporum; extra sabbata quatuor temporum, episcopus legit missam usque ad collectam inclusive, et orationi missae diei adiungit orationem pro ordinandis sub unica conclusione.

Post *Kyrie*, vel post *Gloria* si dictum fuit, canon ab altari amovebitur.


¶ Capellanus 1us dicit *Flectamus genua* et *Levate* toties quoties occurrit, et omnes genuflectunt, exceptis ministris de libro et scotula si actu inserviunt.

¶ Si aderint clerici initiandi, vel promovendi ad ordines minores, ordinentur temporibus suis, ut in parte 2ª huius tituli habetur, n. 184.

(¹) Osculum evangelii ante introitum est ritus proprius missae sollemnis pontificalis; PR tamen, cum agit de consecratione lecta episcopi, dicit consecratorem debere osculari altare et evangelium; quae quidem rubrica ab auctoribus et ab usu Ecclesiae Romanae ad ceteras missas lectas pontificales extenditur.

ORDINATIONES

9) • MISSA PONTIFICALIS LECTA-AD INTROITUM



Dum episcopus legit 5am lectionem vel dicit collectas, acolythi duo faldistorium in medio suppedaneo ponunt et recedunt.

Episcopus, finita lectione vel collectis, sedet ad faldistorium, eique imponitur mitra simplex et gremiale a capellano assistente 1º.

¶ Laudabiliter missale cum legili tempore ordinationum ab altari amovebitur, et, istis finitis, reponetur.

Archidiaconus, vel qui eius vices gerit, a caeremoniario 2º vocatus, locum sumit in suppedaneo a dextris Imi assistentis.

Ad ordinationem proceditur ut in titulo II, n. 108.

Sed observa:

Episcopus clara voce legit quae in functione solemni cantare debet.

Pontificale ponitur super faldistorium et litaniae recitantur sine cantu ⁽¹⁾ a duobus capellanis assistentibus flexis genibus a lateribus episcopi, vel ab ipso episcopo si maluerit, omnibus simul respondentibus; vel consultius recitantur a duobus clericis retro post ordinandos vel a latere epistolae ut pro ordinatione solemni dictum est ⁽²⁾. Post *Ut omnibus fidelibus defunctis*, episcopus surgit cum suis assistentibus, minister de libro accipit pontificale, et, cum ministro de scotula, se sistunt ante eum; pontifex recitat eodem tono sine cantu ipse solus benedictiones tres e pontificali; quibus dictis, iterum genuflectit cum suis capellanis, et recedunt ministri de libro et scotula; pontificale iterum super faldistorium ponitur.

¶ Ad litanias, si ab episcopo recitentur, capellanus lus candelam sustinebit, si vero ab aliis recitentur, minister eam super abacum reponit.

(1) Si ordinatio est lecta, omnia legenda sunt, nec fas est episcopo et cantoribus, quaedam pro libitu eligere ut cantu modulentur; sicut non licet missam celebrare partim in cantu, partim sine cantu. Quo tamen non obstante, mos invaluit hic et illic, etiam in alma Urbe, cantandi litanias in ordinationibus lectis. Ratio est quia ordinationes lectae in dies plus invaluerunt (deplorantibus liturgistis!), et si litaniae non cantantur, solemnis ritus prostrationis, maxima ex parte, ruit. Videtur consuetudo approbari posse quoad litanias, et etiam pro *Veni, Creator* dum ungantur manus presbyterorum. Exceptio minime est ad praefationes et ad alia quae in PR notas musicas habent extendenda. Ordinatio fit intra missam uti quid unum; quid proinde sibi vult cantus praefationum ordinationis, et recitatio praefationis missae, quasi missa sit ordinationi inferior.

(2) Iuxta rubricas PR, hic et in aliis locis, si functio fiat sine cantu, episcopus ipse recitat litanias. Sed cantus litaniarum pertinet ad cantores; illae tantum invocationes quae personas vel res benedicendas vel consecrandas directe respiciunt ab episcopo sunt dicendae; nec mutant naturam si fiant sine cantu. Praeterea pondus ab episcopo ferendum sufficit, nec debemus ei superimponere, cum sufficienter fatigatur. Proinde, hic et in sequentibus ritibus lectis, facimus capellanos assistentes, vel clericos duos, loco cantorum, litanias recitare, ceteris respondentibus, nisi episcopus eas recitare maluerit.

¶ Admonitio initialis omitti nequit, etiamsi ordinatio fiat privatim et unius tantum (D 3006, IV) et dicitur plurali semper numero. Diagramma XI.

168

ART. III — CONTINUATIO MISSAE

Recedentibus subdiaconis, episcopus, deposita mitra, assurgit et se sistit cum suis capellanis ad missale, et acolythi faldistorium amovent.

In sabbatis quatuor temporum episcopus legit canticum Danielis, deinde, dicto *Dominus vobiscum* de more, recitat orationem diei, cum illa pro ordinandis sub unica conclusione, et legit epistolam. In sabbato Pentecostes episcopus legit 5um *Alleluia* cum suo versu, et, dicto *Gloria* in medio altari et *Pax vobis* ut moris est, recitat orationes ut supra, ac demum legit epistolam.

Extra sabbata quatuor temporum, episcopus legit tantum epistolam, nec opus erit faldistorium amovere.

¶ Dum episcopus legit epistolam, novi subdiaconi eam laudabiliter legant secrete e suis missalibus manualibus in suis locis; abstineant tamen a lectione alta voce sollemnis ad instar, cum missa sit lecta ⁽¹⁾.

169

ART. IV — ORDINATIO DIACONORUM

Lecta epistola, episcopus sedet ad faldistorium, iterum ab acolythis in medio suppedanei positum, si amotum fuerit. Capellanus assistens Ius ei imponit mitram, et gremiale.

Ad ordinationem proceditur ut in tit. II, n. 110.

Praefatio legitur altiore voce ab episcopo sine cantu, et orationes dicuntur clara voce sine cantu.

¶ Si unus tantum ordinetur, omnia fiunt in singulari, et, finita vestitione, immediate ei traditur liber evangeliorum.

170

ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Recedentibus diaconis, episcopus, deposita mitra, se sistit ad missale ubi in sabbatis quatuor temporum legit tractum, in sabbato *Sitientes* graduale,

(¹) Ritus ordinationis compositi fuerunt pro functionibus sollemnibus et frequenter invenies scopulos per viam, quando debes ritus sollemnes ad lectos reducere. Sic cantus epistolae et evangelii sunt proprii missae sollemnis; et si missa sit lecta, subdiaconi et diaconi non debent concelebrare cum pontifice, una cum eo epistolam et evangelium legentes. Rubricae clarissime loquuntur; dicunt enim *Interim per unum ex subdiaconis noviter ordinatis cantatur epistola. ... unus ex diaconis noviter ordinatis ... cantat evangelium*, quod a rubricis appendicis confirmatur. Praevalet proinde ratio contraria. Si officium non fit cum cantu unus subdiaconus et unus diaconus non recitant epistolam et evangelium, D 2682, IX, applicari potest ad lectionem privatam epistolae et evangelii, sicut modo diximus.

sed usque ad ultimum versum exclusive, in sabbato Pentecostes totum tractum et sequentiam, sed usque ad ultimam stropham exclusive.

In dominicis et festis per annum episcopus legit *Alleluia*, tractum vel graduale, sed usque ad ultimum versum exclusive.

171

ART. VI — ORDINATIO PRESBYTERORUM

Episcopus, lectis quae legenda sunt ut in numero praecedenti, sedet in faldistorio et accipit mitram et gremiale. Caeremoniarius 2us archidiaconum ad suppedaneum vocat.

Ad ordinationem proceditur ut in titulo II, n. 112, sed observa:

Licebit canonicis et mansionariis in choro, si aderint, stolam super cappam vel super palliolum humerale assumere. D 3059, XXIII. Primo loco manus imponit archidiaconus, vel qui eius supplet vices; deinde canonici et praelati in choro si aderint, non tamen qui sint caractere episcopali insigniti; ultimo sacerdotes praesentes. Capellani assistentes et caeremoniarii manus ne imponant, cum unice intenti esse debent muneri suo.

¶ Si ordinatio fiat omnino privatim, saltem tres sacerdotes manus imponere debent, et, deficientibus aliis, id faciant capellani.

Episcopus legit praefationem altiore quadam voce sine cantu, et clara voce sine cantu dicit omnes orationes.

Episcopus, flexis genibus et sine pileolo, recitat primum versum hymni *Veni, Creator*, et, iterum accepto pileolo, assurgit, sedet in faldistorio et accipit mitram. Proceditur de more ad unctionem manuum presbyterorum.

Dum fit unctio, clerici, cantorum ad instar, recitabunt hymnum. Licebit versus repetere, excepto primo, et doxologia dicetur ad finem unctionis tantum. Vide notam p. 163.

¶ Si unus tantum ordinandus est, omnia fiunt in singulari, et, finita unctione manuum, statim proceditur ad traditionem calicis et patenae ordine superius tradito, n. 151.

172

ART. VII — CONTINUATIO MISSAE ET OFFERTORIUM

**Continuatio
missae**

I. Episcopus, lotis manibus et acceptis iterum chirothecis et annulo, mitram deponit et se sistit ad missale dum acolythi faldistorium amonent, canon iterum ponitur in medio altari.

Episcopus legit ultimum versum gradualis, tractus, *Alleluia*, vel ultimam stropham sequentiae, deinde in medio altari dicit *Munda cor meum* et procedit ad lectionem evangelii ipse solus.

¶ Neo-diaconi laudabiliter legent evangelium secrete in suis locis, sed abstineant a lectione elata voce.

Dicitur *Credo* ab episcopo solo, si dicendum sit.

Episcopus de more, dicto *Dominus vobiscum* et *Oremus*, legit offertorium.

**Praesentatio
candelarum** 2. Lecto offertorio, episcopus ad latus evangelii recedit dum ab acolythis faldistorium locatur in medio suppedaneo.

Episcopus sedet in faldistorio et accipit mitram et gremiale linteum.

Caeremoniarius ordinandorum, adjuvantibus clericis de abaco, candelas ardentes ordinatis tradit, qui, incipientes a presbyteris, ante altare singulariter accedunt.

Acolythy duo se sistunt a dextris 1mi assistentis, 2º secum ferente canistrum.

1mus presbyter, facta genuflexione in plano, ad suppedaneum ascendit, et, flexis genibus, candelam suam episcopo offert, cum osculo manus eius tantum.

Episcopus, accepta candela, eam 1mo capellano tradit, qui rursus eam tradit 1mo acolytho, qui eam exstinguit et in canistrum reponit. **Diagramma XII.**

Ordinatus 1us surgit, se vertit ad dexteram suam, descendit in planum, et, iterata genuflexione cum illo qui 3º loco venit, ad locum suum redit. 2us genuflectit et ascendit cum 1us assurgit, et ita usque ad ultimum.


¶ Si numerus ordinandorum sit magnus, offertorium candelarum fieri poterit tantum a 1mo ordinato uniuscuiusque ordinis, nomine omnium sui ordinis. D 2883, III.

Post traditionem candelarum, neo-presbyteri se sistunt ad scamna seu scabella parata in medio presbyterii pro concelebratione missae. Sacerdotes qui eis inservire debent, superpelliceis induti locum sumunt a sinistris eorum, vel in medio si unus inservit duobus.

**3º lotio manuum
Episcopi** 3. Expleta oblatione candelarum, minister de gremiali cum lance, facta in plano genuflexione, flectit genua in ora suppedanei, et capellanus 1us aufert anulum et chirothecam dexteræ manus cum osculis, dum 2us eodem modo aufert chirothecam sinistrae manus. Recedit minister cum chirothecis et accedunt familiares seu acolythy pro lotione manuum. Episcopus lavat manus, capellano 1º mantile ministrante, qui deinde ei reponit anulum cum osculis, et recedunt ministri lotionis; capellanus 1us, adjuvante 2º, amovet gremiale linteum et tollit mitram.


ORDINATIONES

11) • OFFERTORIUM CANDELARUM AD ALTARE



ORDINATIONES

12) • MISSA PONTIFICALIS LECTA-CONCELEBRATIO



**Regulae
pro episcopo**

1. Assurgit episcopus et recedit ad latus epistolae, dum ab acolythis amovetur faldistorium. Episcopus, versus ad altare, prosequitur missam more consueto, ministrantibus suis capellanis. Advertat tamen ut partes quae secrete dicuntur, dicat aliquantulum altius et morose, ita ut neo-presbyteri possint cum eo una simul eas proferre, praesertim verba consecrationis.

**Regulae pro
neo-presbyteris**

2. Presbyteri concelebrationem missae cum pontifice incipiunt a *Suscipe, sancte Pater* et prosequuntur flexis genibus usque ad ultimum evangelium exclusive ad quod assurgunt; et, una cum episcopo, se signant et pectus percutiunt; abstinent tamen ab inclinationibus et benedictionibus aquae et oblatarum, manus iunctas ante pectus semper habentes.

Funalia

3. Aderunt clerici duo cum funalibus a *Sanctus* usque dum ordinati communionem sumpserint, toto tempore flexis genibus permanentes. Si deficient clerici, accendi poterunt funalia duo super candelabris. CE I, 29, 7. Diagramma XIII.

Pax

4. Cum episcopus dicit primam orationem communionis, neo-presbyteri assurgunt, et caeremoniarius ordinatorum invitat Ium presbyterum, Ium diaconum et Ium subdiaconum ad altare, qui unus post alium, facta in infimo altaris gradu genuflexione, ad dexteram pontificis ascendunt. Presbyter una cum episcopo osculatur altare, manibus super ipsum positis, quia concelebrat; et, facta profunda capitis inclinatione episcopo, ab eo pacem accipit; et, iterata reverentia episcopo, genuflectit ad Sacramentum, et ad locum suum redit.

Ius diaconus et Ius subdiaconus similiter pacem accipiunt, sed habent manus iunctas ante pectus dum osculantur altare. Ius presbyter ad locum suum reversus, pacem dat 2º presbytero et hic 3º, et sic usque ad ultimum. Similiter Ius diaconus pacem dat 2º diacono, et Ius subdiaconus 2º subdiacono, et ita usque ad ultimos.

Episcopus exspectat quousque presbyteri, accepta pace, iterum genuflectant, ut cum eis recitet 2am et 3am orationem communionis.

**Communio
presbyterorum**

1. Cum episcopus dicit *Domine, non sum dignus*, acolythi, accepta mappa et facta in medio ante altare genuflexione, se sistunt hinc inde in superiore gradu, facie ad faciem versa, mappam extensam tenentes.

Sumpto pretioso sanguine ab episcopo, capellanus 2us a dextris calicem palla cooperit. Neo-presbyteri surgunt et, bini vel quaterni, ad oram suppedanei ascendunt, et flectunt genua.

Capellanus 2us, sine stola, pyxidem discooperit, et episcopus cum suis capellanis genuflectit; capellanus 1us accipit lancem et episcopus pyxidem et se vertunt ad neo-presbyteros. Episcopus statim presbyteris Eucharistiam tradit, *nihil dicens*, sed tantum signum crucis faciens cum hostia. DD 2089, IV; 3721 (1). Neo-presbyteri osculantur anulum episcopi ante communionem.

Presbyteri, bini vel quaterni, recepta communione, assurgunt, se vertunt, qui a dextris ad dexteram, qui a sinistris ad sinistram, in planum descendunt, et ad loca sua se conferunt.

¶ Dum communicant presbyteri, caeremoniarius ordinatorum diaconos et subdiaconos in lineis duabus disponit, vel quatuor si sint numerosi, retro post neo-presbyteros.

Communio ceterorum

2. Finita communione presbyterorum, episcopus statim dicit *Ecce Agnus Dei* et cetera de more; deinde diaconis et subdiaconis Sacramentum dat, capellano 1mo a dextris lancem sustinente, ne cadant fragmenta. Episcopus, dum singulis facit signum crucis cum hostia, dicit *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam*, et sua quisque vice respondet *Amen*, et osculatur manum episcopi.

Ordinati, recepta sacra communione, assurgunt prout ascenderunt, et ad loca sua se conferunt, servato ordine tradito pro neo-presbyteris.

Cum omnes communicaverint, episcopus se vertit ad altare cum suis capellanis et pyxidem super illud reponit, et capellanus 1us a sinistris eius deponit patenam.

Acolythi cum mappula, facta in plano genuflexione, ad abacum redeunt; et clerici cum funalibus, facta genuflexione, ad sacrarium se conferunt, vel exstinguntur cerei maiores si accensi fuerint.

Ablutiones et 5a lotio manuum episcopi

3. Episcopus de more sumit ablutiones, capellano 2o a dextris ministrante, et purificat etiam pyxidem.
Capellanus 1us legile cum canone ad latus epistolae portat, et 2us pergit ad latus evangelii; libriger vel caeremoniarius 2us locat pontificale super legili et canonem ad abacum portat.

(1) Rubricae 1ae partis et appendicis PR ubi de communione presbyterorum explanatione indigent, corrigenda est rubrica appendicis quae praecipit episcopum dicere consuetam formulam pro communione presbyterorum, nam ipsi eam iam una cum episcopo dixerunt.

Episcopus, accepta mitra, lavat manus, capellano 1mo mantile ministrante. Interim capellanus 2us abstergit calicem et pyxidem, et calicem, suo velo coopertum cum corporali in bursa, ad abacum portat.

¶ Si nulli fuerunt ordinati presbyteri, statim transitur ad art. XI huius capituli, et missale loco pontificalis ponitur super legili.

175

ART. X — RITUS AD ORDINATIONEM PRESBYTERORUM COMPLENDAM

Responsorium 1. Episcopus, lotis manibus, deponit mitram et se vertit ad legile cum suis capellanis hinc inde.

Assurgunt neo-presbyteri et chorus, et episcopus a suis capellanis comitatus legit clara voce responsorium *Iam non dicam vos servos*; ad *Gloria Patri* omnes caput versus crucem inclinant, et post Septuagesimam omittitur *Alleluia*.

Dum legitur responsorium acolythi faldistorium in medio suppedaneo locant.

Credo 2. Lecto responsorio, episcopus se sistit cum suis capellanis in medio altari ante faldistorium, sedet et accipit mitram.

Iterum assurgit episcopus, et neo-presbyteri clara voce memoriter recitant symbolum Fidei, quo finito sedet episcopus.

Dum dicitur *Credo* libriger sumit pontificale e legili.

Cetera 3. Cetera omnia, ab impositione manuum usque ad finalem benedictionem presbyterorum, fiunt ut in ordinatione solemni, n. 116, 3-8, eo excepto quod episcopus benedictionem finalem presbyterorum dicit clara voce sine cantu.

176

ART. XI — DE FINE MISSAE

Communio 1. Caeremoniarius 2us missale super legili locat, episcopus assurgit et cum suis capellanis ad illud accedit et legit communionem una cum neo-presbyteris.

Interim acolythi amoveant faldistorium.

Postcommunio 2. Episcopus, dicto *Dominus vobiscum* in medio altari cum presbyteris, iterum ad missale legit postcommunionem diei sub unica conclusione cum alia pro ordinatis.

Iterum in medio episcopus dicit *Dominus vobiscum*.

Dum episcopus dicit postcommuniones, caeremoniarius 2us canonem apertum in medio altari ponit.

Ite missa est 3. Episcopus simul cum presbyteris dicit consueto more *Ite Missa est*.

Placeat 4. Episcopus una cum presbyteris recitat orationem *Placeat* et osculatur altare.

Benedictio et indulgentiae 5. Episcopus cum mitra simplici, vel pretiosa si eo die licet, dat benedictionem more consueto ipse solus, accepto baculo cum dicit *Patris*. Presbyteri flexis genibus recipiunt benedictionem, munientes se signo crucis.

Capellani assistentes, si sint canonici in sua dioecesi vel praelati, profunde inclinati benedictionem recipiunt (D 3804, I), secus genua flectunt.

¶ Si celebrans sit metropolita crucifer genua flectit in ultimo gradu altaris pro benedictione, quam sine mitra dabit.

Data benedictione, si episcopus sit loci ordinarius, metropolita vel cardinalis, indulgentias dabit, si maluerit; quod si dentur, capellanus lus formulam legit.

Ultima exhortatio et paenitentia 6. Benedictione impertita, episcopus ad latus epistolae recedit dum ab acolythis faldistorium in medio suppedanei ponitur. Sedet episcopus, retento baculo, et accepta mitra si sit metropolita. Caeremoniarius ordinatorum eos disponit in circulo, sive ordinibus si sint plures. Presbyteri stabunt in medio cum diaconis a dextris et subdiaconis a sinistris, et omnes, manibus ante pectus consertis, genua flectunt. Ministri de libro et scotula a sinistris episcopi se sistunt, qui legit exhortationem *Filii dilectissimi*, deinde paenitentiam ordinatis imponit, qui una simul respondent *Libenter*.

Diaconis et subdiaconis episcopus dicat *Nocturnum feriae occurrentis*, vel aliae, prout ei placuerit.

Paenitentia imposita, recedunt ministri de libro et scotula et ordinati; neo-presbyteri tamen remanent stantes suis locis.

¶ Si celebrans sit metropolita, caeremoniarius 2us vel acolythus lus ponit lancem sacri pallii cum suo velo super altari a latere evangelii; capellanus lus aufert mitram episcopo, et deinde, adiuvante 2º, aufert ei pallium, manentibus spinulis, et super lance reponit.

Ultimum evangelium 7. Episcopus, deposita mitra, assurgit, surgentibus omnibus, et ad latus evangelii se confert cum suis capellanis, ubi legit de more initium evangelii sancti Ioannis, una cum neo-presbyteris qui assurgunt.

Statim ac episcopus incipit legere evangelium, acolythi faldistorium ponunt in plano a parte epistolae, sicut pro vestitione pontificis.

Finito evangelio, episcopus, sumpta mitra, pretiosa si liceat, secus simplici, et accepto baculo, descendit in planum cum suis capellanis, ubi, facta in medio profunda reverentia cruci, vadit ad faldistorium versus latus epistolae, ubi sedet et reddit baculum ministro.

¶ Si episcopus in throno vestes sacras assumpsit, acolythi, incepto evangelio, faldistorium removent, et episcopus, facta in plano reverentia cruci de more, ad thronum revertitur cum suis capellanis, ubi sedet et reddit baculum.

**Discessus
ordinatorum**

8. Caeremoniarius ordinatorum ordinatos in duobus ordinibus in medio chori disponit, qui, bini genuflexionem facientes ad altare et deinde ad episcopum, pergunt iunctis manibus in sacrarium, a dignioribus ad inferiores, ubi sacras deponunt vestes.

¶ Si celebret episcopus extraneus, vel titularis, ordinati faciunt bini genuflexionem cruci, deinde inclinationem episcopo, ac demum reverentiam choro si aderit, et discedunt.

Dimissio vestium

9. Discedentibus ordinatis, ministri insignium et abaci ante episcopum se sistunt, qui a 1^o capellano, adiuvante 2^o, sacris exuitur vestibus, quas caeremoniarius 2us super altari ponit et gremiali cooperit.

¶ Si celebrans sit metropolita, crucifer, deposito superpelliceo, assumit cappam vel *croceam*.

Caeremoniarius 1us induit episcopum vestibus choralibus.

**Gratiarum actio
et discessus
episcopi**

10. Accedunt ad episcopum ministri de libro et scotula pro gratiarum actione de more legenda.

Interim caeremoniarius 2us ponit pulvinar in ultimo gradu altaris, vel, si episcopus sit in throno, acolythi ponunt faldistorium cum pulvinari in medio ante altare.

Finita gratiarum actione, episcopus aliquantulum ante altare orat, et discedit in pace, ordine quo venit.

PARS II

DE CLERICIS INITIANDIS ET DE MINORIBUS
ORDINIBUS CONFERENDIS INTRA MISSAM
LECTAM UNI VEL PLURIBUS

Caput I

177 PRAENOTANDA ET PRAEPARANDA

¶ De tempore et loco conferendi tonsuram et ordines minores, vide nn. 69-70.

¶ Valde convenit ut, quando clerici initiandi sunt vel promovendi ad ordines minores extra ordinationem generalem vel sine ordinibus maioribus, *intra missam lectam* initientur vel promoveantur ⁽¹⁾.

1. ORDO MISSAE. Si ordinatio fiat diebus dominicis vel festis Missa dicitur de dominica vel de festo ut in calendario.

Si ordinatio fiat in sabbatis quatuor temporum vel in sabbato *Sitientes*, Missa dicitur de eo, cum commemorationibus privilegiatis tantum, etiamsi occurrat intra festum I vel II classis, nam rubrica non distinguit Missam pro ordinibus maioribus vel minoribus conferendis.

Sub unica conclusione cum oratione Missae, quae venit post *Dominus vobiscum*, additur oratio in collatione ordinum, iuxta novissimas rubricas.

2. INSERVIENTES. Episcopo inserviunt capellani assistentes duo cum superpelliceis, qui tempore missae servabunt regulas Missae lectae episcopi, tempore vero ordinationum standum regulis in 1^a parte huius tituli traditis, n. 162, 2.

⁽¹⁾ Rubrica generalis (de ordinibus conferendis) *quando autem Pontifex...* supponit episcopum *vel* conferre tonsuram et ordines minores una cum maioribus intra missarum solemnias, vel extra missam; rubricae appendicis tamen docent episcopum posse tonsuram et ordines minores conferre: 1) intra missam lectam iuxta ordinem missae sollemnis; 2) ante vel post missam; 3) independenter a missa. Quaeritur quinam sit modus magis iuxta sensum liturgicum? LVH dicit ordines minores conferendos esse extra missam, quia, ait, nulla datur relatio missam inter et ordines minores, ex eo quod oratio pro ordinandis in missa omittitur. Argumentum nimis probat, quia si ita esset, ordines minores nunquam deberent conferri intra missam. Sed contrarium videtur verum; nam ordines tum maiores tum minores conferuntur ad sacram liturgiam celebrandam; proinde intimum nexum habent cum missa. Praeterea, si ordines minores dari debent intra missam quando una cum maioribus conferuntur, cur non ordines minores conferantur intra missam lectam episcopi, quando sine ordinibus maioribus conferendi sunt.

Si non aderit archidiaconus, assistens unus fungetur officio archidiaconi.

Opus erit officio caeremoniarum unius, vel etiam duorum, si multi sint ordinandi.

Aderunt clerici duo ad abacum, qui lotioni manuum episcopi inserviunt, et in ponendo et auferendo faldistorio, vel in aliis quae ad missam et ordinationem pertinent agendis.

Aderunt clerici tres pro mitra, libro et scotula.

VESTES EPISCOPI eadem sunt ac pro missa lecta; praeterea episcopus utitur mitra simplici, exclusa semper pretiosa, tempore ordinationum tantum; non utetur baculo, cum nullo modo requiratur.

178 PRAEPARANDA. Parentur quae necessaria sunt pro missa lecta episcopi. Praeterea:

A LATERE EVANGELII:

Faldistorium sua veste coopertum, adhibendum tempore ordinationum tantum.

SUPER ALTARI accendentur quatuor vel sex cerei. A latere evangelii aderit mitra simplex.

SUPER ABACO PRO ORDINATIONE:

Ritus ordinationis in singulari vel plurali prout opus erit.

Elenchus ordinandorum.

Forfices in lance.

Gremiale linteum.

Claves duae in lance et tintinnabulum pro ostiariis.

Missale pro lectoribus et exorcistis.

Ceroferarium cum candela exstincta et ampullae vacuae in lance pro acolythis.

IN SACRARIO:

PRO ORDINANDIS:

Superpellicea.

Candelae semilibrae.

PRO INSERVIENTIBUS:

Superpellicea.

Caput II

RITUS SERVANDUS

179

ART. I — PRAEPARATIO ET INITIUM MISSAE

Praeparatio

1. Tonsurandi cum superpelliceis plicatis super brachio sinistro, ordinandi superpelliceis induti, omnes cum candela semilibrae extincta in manu dextera, locum suum in presbyterio obtinebunt ante adventum episcopi.

Episcopus, habitu praelatio proprio indutus, ad ecclesiam vel oratorium accedit de more et, facta praeparatione, stans lavat manus et sacras capit vestes.

Missa

2. Episcopus missam statim incipit et celebrat iuxta regulas missae lectae. Minister de mitra, accepta mitra, locum sumit versus latus epistolae; ministri de libro et scotula se sistunt prope abacum.

Ordinandi toto tempore missae permanent flexis genibus, surgunt vero pro utroque evangelio. Tempore ordinationum, qui actu non ordinantur, stabunt, vel sedent cum episcopo.

180

ART. II — INITIATIO CLERICORUM

¶ Admonitio et vocatio generalis omittuntur.

¶ Prima tonsura confertur post introitum quando non dicitur *Gloria*; in sabbatis quatuor temporum vel quando dicitur *Gloria*, post *Kyrie, eleison*.

**Vocatio
clericorum**

1. Posito faldistorio in medio suppedaneo, sedet episcopus, a limo capellano induitur mitra, et ordinandi omnes assurgunt. Capellanus Ius vel archidiaconus dicit *Accedant qui promovendi sunt ad primam clericalem tonsuram*, et omnes, cum superpelliceo in brachio sinistro et candela extincta in manu dextera, accedunt duos passus versus altare.

Notarius, stans a latere epistolae, legit nomina promovendorum; et quilibet cum vocatur respondet *Adsum*, ante gradus altaris accedit, facit genuflexionem una simul cruci et episcopo, et in loco suo se constituit ad nutum caeremoniarum; postquam venerit ultimus, omnes una simul genua flectunt in corona, vel, si sint multi, in ordinibus ante episcopum.

**Invitatio
ad orandum**

2. Ministri de libro et scotula se sistunt parum ad sinistram episcopi, qui, surgens cum mitra, dicit clara voce *Sit nomen Domini et Adiutorium nostrum*, cui respondent capellani; deinde recitat invocationem *Oremus, fratres carissimi*,

qua absoluta sedet. Ministri de libro et scotula recedunt, et acolythi recipiunt candelas tonsurandorum.

Tonsura

3. Capellanus 2us gremiale linteum ponit super gremium episcopi et faldistorio alligat; acolythus 1us cum forficibus in lance se sistit a dextris 1mi acolythi; tonsurandi assurgunt et se sistunt unus post alium; 1mus, facta genuflexione in plano, ad suppedaneum ascendit et genua flectit.

Episcopus, acceptis forficibus a 1mo capellano, capillos 1mi clerici tondit in quinque locis, videlicet,

1. in fronte dicens *Dominus pars*;
2. in occipito, dicens *hereditatis meae*;
3. super auriculam dexteram, dicens *et calicis mei*;
4. super auriculam sinistram, dicens *tu es qui restitues*;
5. in summitate capitis, dicens *hereditatem meam mihi*; quae quidem verba tonsurandus dicit simul cum episcopo, vel, suggerente episcopo, statim post eum. D 2682, III.

Assurgit clericus, se vertit versus sinistram suam, in planum descendit, genuflexionem facit cum 2º, et ad locum redit, ubi exspectat stans; 2us ascendit, et pro omnibus fit similiter.

Cum episcopus facit tonsiones, clericus 1us de abaco cum lance se sistit in gradu altaris a dextris episcopi ad capillos recipiendos.

Dum fiunt tonsurae clerici duo recitant recto tono antiphonam *Tu es Domine*, cum ps. 15 *Conserva me, Domine*, sine *Gloria* et cum repetitione antiphonae in fine ⁽¹⁾.

Finita tonsura, episcopus forfices 1mo capellano tradit, qui eas in lance reponit; recedit clericus ad abacum, et capellanus 1us amovet gremiale linteum.

Oratio ad tonsuram complendam

4. Ministri de libro et scotula coram episcopo se sistunt et episcopus, deposita mitra, surgit et legit orationem *Praesta quaesumus* super tonsuratos genuflexos.

Sedet iterum episcopus et accipit mitram, ac recedunt ministri de libro et scotula.

⁽¹⁾ In PR frequenter invenies psalmos, antiphonas, responsoria, ad ritus concomitandos, sicut fit in conlatione tonsurae. Huiusmodi cantus destinantur ad cantores, minime ad episcopum, et supponunt functiones solemnes iuxta intentionem illorum qui ritus ordinavere. Quando functiones istae fiunt privatim sine cantu, auctores non semper scivere quid facerent de canticis; Martinucci et alii faciunt episcopum partem chori recitare antequam incipiat ritum; sed erronea solutio est pontifici tribuere quae ad eum non pertinent. Praestat autem eas partes vel omitti, si desint cantores, vel sine cantu a duobus clericis loco cantorum extra altare recitari. Haec ultima solutio, uti magis consentanea ritibus, praefertur hic, et in ceteris ritibus PR.

**Lotio manuum
episcopi**

5. Episcopus de more lavat manus, capellano 1^o mantile ministrante.

Dum episcopus lavat manus, clerici duo recto tono recitant antiphonam *Hi accipient* cum ps. 23 *Domini est terra*, cum *Gloria* et repetitione antiphonae in fine.

**Vestitio
clericorum**

6. Ministri de libro et scotula accedunt coram episcopo qui se vertit ad altare cum suis capellanis, et dicit *Oremus*; capellanus lus *Flectamus genua* et *Levate*, et omnes genuflectunt, praeter ministros de libro et scotula. Deinde episcopus, versus ad neo-clericos genuflexos, dicit orationem *Adesto, Domine*, praeparatoriam ad vestitionem, dextera illos benedicens; deinde sedet et accipit mitram, et recedunt ministri de libro et scotula.

Clerici surgunt et se sistunt unus post alium cum superpelliceo explicato in manibus. Ius, facta in plano genuflexione, ad suppedaneum ascendit, et episcopus induit eum superpelliceo, adiuvante caeremoniario, dicens *Induat te Dominus* etc. Clericus assurgit, se vertit ad sinistram suam, descendit in planum, genuflectit, et ad locum suum redit ubi expectat stans. Alii omnes ascendunt et episcopus singulos eodem modo induit superpelliceo.

**Oratio ad
initiationem
complendam**

7. Ministri de libro et scotula ante episcopum se sistunt; tonsi genua flectunt; episcopus, deposita mitra, assurgit et dicit orationem *Omnipotens... propitiare* ad tonsuram simul et vestitionem complendam.

Allocutio

8. Sedet episcopus et, accepta mitra, legit allocutionem ad tonsos genuflexos dicens *Filii carissimi*, qua finita, recedunt ministri de libro et scotula.

¶ Si ordines minores non sint conferendi, episcopus statim imponit paenitentiam tonsuratis, ut inferius habetur, quo facto, recedunt ministri de libro et scotula.

Dimissio

9. Capellanus lus vel archidiaconus dicit *Ad loca vestra*; neo-clerici assurgunt et, facta genuflexione, recedunt ad loca sua in presbyterio.

¶ Si unus tantum sit initiandus, omnia fiunt in singulari, idem ac de singulis ordinibus minoribus conferendis.

Removetur faldistorium, et episcopus prosequitur missam.

In Dominicis vel festis diebus quatuor ordines minores conferuntur post *Gloria* si dicitur; si non dicitur *Gloria*, et in sabbato *Sitientes*, immediate post *Kyrie*.

In sabbatis quatuor temporum ostiarii ordinantur post 1am lectionem, lectores post 2am, exorcistae post 3am, acolythi post 4am.

182 ART. IV — ORDINES MINORES

OSTIarii ordinantur ut in tit. II, n. 100. Deficiente archidiacono, ostiarii ducentur a caeremoniario, vel ab alio sacerdote, ad ordinem exercitandum, ne assistens teneatur a latere episcopi discedere.

LECTORES ordinantur ut in tit. II, n. 102.

EXORCISTAE ordinantur ut in tit. II, n. 104.

ACOLYTHI ordinantur ut in tit. II, n. 106.

Pro omnibus ordinibus minoribus tamen observa: episcopus orationes omnes ac benedictiones dicit clara voce sine cantu; lus capellanus fungitur officio diaconi et archidiaconi, nisi iste in choro aderit; 2us fungitur officio subdiaconi, sed ponit et aufert gremiale.

183 ART. V — CONTINUATIO MISSAE

Acolythorum ordinatione expedita, episcopus, deposita mitra, assurgit, faldistorium amovetur, et uti moris est missa continuabitur.

OFFERTORIUM. Fit traditio candelarum a neo-clericis et neo-ordinatis de more, n. 172, 2, sed eis *non* dabitur pax ⁽¹⁾.

COMMUNIO. Promoti laudabiliter sacram communionem recipiunt, quam eis dabit episcopus iuxta modum traditum in n. 174, 2. Episcopus utitur formula *custodiat te*.

FINIS MISSAE. Post communionem, episcopus sumit ablutiones, lavat manus et prosequitur missam de more usque ad benedictionem, nulla facta mutatione. Benedictionem finalem missae tamen confert cum mitra, etiamsi sit metropolita, nisi crux eius aderit ⁽²⁾.

PAENITENTIA. Benedictione impertita, episcopus ad latus epistolae recedit, et faldistorium ponitur in medio suppedanei ubi sedet, retenta mitra, et neo-

⁽¹⁾ Si neo-clerici et promoti ad ordines minores, candelas suas episcopo offerre debent quando ordinantur una cum illis qui ad ordines maiores fuerunt promoti, cur non si seorsum ordinantur? Non videtur ratio distinguendi. Propter quod dicimus donationem candelarum semper fieri debere a clericis et ab ordinatis in minoribus, sive intra, sive extra missam fiat eorum ordinatio.

⁽²⁾ Non videtur episcopus mitra uti debere in missa lecta, in qua conferuntur ordines minores ex eo quod missa sit lecta; exceptionem fecimus pro benedictione finali, cum debet statim sedere cum mitra. De hac re nihil edixit SRC; D 4035, III, de mitra non adhibenda intra missam lectam, non se refert ad missam ordinationum.

clericos ac ordinatos coram eo genuflexos alloquitur dicens *Filii dilectissimi*. Deinde eis imponit paenitentiam dicens:

Singuli ad primam tonsuram (vel ad quatuor minores Ordines) promoti, dicite semel septem psalmos paenitentiales cum litanis, versiculis et orationibus, et omnipotentem Deum, etiam pro me orate.

Et omnes respondent *Libenter*. Episcopus, deposita mitra, assurgit, et ab acolythis amovetur faldistorium.

¶ Si nullus fuit promotus ad ordines minores, sed tantum ad clericatum, allocutio *Filii dilectissimi* et paenitentia omittantur, et, data benedictione, episcopus, deposita mitra, statim incipit evangelium.

ULTIMUM EVANGELIUM dicitur de more, et postea episcopus stans ante gradus altaris, et omissis orationibus Leonis XIII, sacras deponit vestes, accipit chorales, et, facta gratiarum actione ad genuflexorium, recedit in pace, et post eum promoti bini iunctis manibus, incipientes a dignioribus.

¶ Episcopus volens, extra suum territorium, primam tonsuram et ordines minores conferre suis subditis intra missam lectam, facit ut in hac 2^a parte huius tituli notatur, dempta tamen mitra, pro qua requiritur consensus loci ordinarii. CIC 1008.

¶ Abbates benedicti de regimine intra ecclesias suas; abbates et praelati nullius vel vicarii et praefecti apostolici intra suum territorium, hi ultimi tamquam protonotarii, in conferenda tonsura vel ordinibus minoribus intra missam lectam, omnia faciunt ut in hac 2^a parte huius tituli habetur.

Caput III

DE TONSURA ET ORDINIBUS MINORIBUS QUANDO UNA CUM MAIORIBUS IN MISSA LECTA PONTIFICALI CONFERUNTUR

184 Tonsura et ordines minores conferri etiam possunt intra missam lectam pontificalem in qua ordines maiores conferendi sunt, vel saltem unus ordo maior.

Omnia fiunt prout in hac 2^a parte huius tituli notatur nn. 177 ad 183, sed observa:

1. Tonsurandi et ordinandi intrabunt cum candelis accensis una cum promovendis ad ordines maiores, ut in n. 168, 5.

2. Tonsura et ordines minores conferuntur temporibus propriis missae, ut in nn. 180 et 181.

3. Episcopus deponit chirothecas ante tonsuram clericorum, et post lotionem manuum eas iterum assumit.

4. Ordinandi vocantur ab archidiacono, vel ab eo qui eius vices gerit, et nomina eorum leguntur a notario.

5. Clerici et ordinati in minoribus offerunt singuli candelas suas accensas pontifici ad offertorium, vel si multi fuerint promoti, lus clericus et lus cuiuscumque ordinis tantum offerunt nomine aliorum sui gradus.

6. Clerici et ordinati in minoribus non accipiunt pacem, sed tantum ordinati in maioribus ⁽¹⁾.

7. Iidem laudabiliter, post diaconos et subdiaconos, sacra Eucharistia reficiuntur; eadem utitur formula episcopus ac pro diaconis et subdiaconis, et singuli respondent *Amen*.

8. Promoti discedunt ordine quo venerunt. Cetera fiunt de more.

PARS III

DE CLERICIS INITIANDIS ET DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS EXTRA MISSAM UNI VEL PLURIBUS

185

ART. I — ANTE MISSAM EPISCOPI

Tonsura et ordines minores conferri etiam possunt immediate ante missam lectam pontificis, nisi missa sit de requie.

VESTES EPISCOPI. Pontifex ordines confert cum vestibus missae lectae, dempto manipulo, et cum mitra; deponere etiam potest casulam, sed consultius eam conservat, quia utitur mitra. Vide notam 2, p. 25.

INSERVIUNT iidem ministri ut in n. 117.

PARANTUR omnia ut in n. 178.

⁽¹⁾ Osculum pacis est ritus proprius missae sollemnis; in ritu ordinationis pertinet ad ordines maiores, sicut facile comperiri potest ex cognitione rubricarum tum 1^{ae} partis tum appendicis PR, quae nullam mentionem faciunt de pace danda promotis ad ordines minores, et clare loquuntur de ordinatis in sacris. Quod comprobatur ex eo quod osculum pacis omitti debet quando tonsura et ordines minores conferuntur intra missam lectam sine ordinibus maioribus. In ordinatione sollemni tonsurati et ordinati in minoribus recipiunt pacem sicut ceteri omnes in choro. Proinde dicimus in ordinatione lecta ordinatos in sacris tantum pacem recipere debere iuxta rubricas.

RITUS SERVANDUS. Ordines minores conferuntur immediate post tonsuram ordine tradito, nn. 180-182, et post ultimum ordinem episcopus legit exhortationem *Filii dilectissimi*, pro qua promoti se praesentant cum candelis accensis, ac ultimo imponit paenitentiam cum formula consueta.

Imposita paenitentia, clerici et ordinati candelas suas episcopo offerunt, deinde ad loca sua recedunt, et episcopus, deposita mitra, assurgit, descendit in planum, et incipit missam.

Acolythi amoveant faldistorium, non amplius adhibendum.

MISSA. Episcopus celebrabit missam de die solito more, nulla facta mutatione, nec utitur mitra. Intra missam promoti laudabiliter Eucharistiam accipiunt, sed episcopus adhibebit formulam RR ...*custodiat animam tuam*.

¶ Licet etiam tonsuram et ordines minores conferre immediate post missam episcopi, quae non sit de requie. Omnia fiunt ut supra, inverso ordine tantum; sed talis modus minime commendatur.

186

ART. II — SINE MISSA

Tonsura et ordines minores conferri possunt independenter a missa, sed privatim tantum.

VESTES EPISCOPI. Episcopus habebit tantum stolam albam circa collum; adhibere etiam poterit mitram simplicem, sed consultius ab usu mitrae abstinebit (vide notas 2, p. 23 et 2, p. 25); extra proprium territorium nunquam adhibet mitram nisi de permissu ordinarii loci; pluviale non est adhibendum.

¶ Quod si episcopus velit tonsuram et ordines minores publice conferre sine missa, induere deberet stolam et pluviale album, et mitram, iuxta regulam pro aliis sacramentis vel sacramentalibus publice administrandis.

INSERVIUNT episcopo iidem ministri ac in n. 177.

PRAEPARANDA. Parentur vestes episcopi uti supra super altari; faldistorium coopertum veste alba in suppedaneo; urceus cum pelvi et mantile in lance; candela; accendentur quatuor cerei super altari.

Super abacum pro ordinatione, et in sacrario pro ordinandis, parentur quae dicta sunt in n. 178.

RITUS SERVANDUS. Episcopus, sedens in faldistorio, deponit vestes chorales et accipit sacras, et procedit ad tonsuram et ordines conferendos ut in nn. 180-182.

In fine, imposita paenitentia, accipit candelas offertorii, et depositis vestibibus sacris, induit chorales, et, facta brevi oratione, discedit in pace, et post eum ordinati.

¶ Abbates benedicti de regimine intra ecclesias suas, abbates et praelati nullius vel vicarii et praefecti apostolici intra suum territorium, ad clericatum vel ordines minores conferendos, procedunt ut supra.

TITULUS VI, nn. 187-198, de ordinationibus in Sabbato Sancto habendis, in hac nova editione omittitur, nam "Cum vigilia paschalis ad nativam sedem restituta fuerit, non convenit, ut inter eiusdem vigiliae Missarum solennia Tonsura vel Ordines minores aut maiores conferantur." *Ordinationes et declarationes circa ordinem instauratum. SRC, die 1 februarii anni 1957, n. 5, 22.*

DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS

199 Solemnia sunt verba iuris: "In quovis conferendo ordine minister proprios ritus in PR... descriptos, *adamussim* servet, quos nulla ratione licet praeterire vel invertere". CIC 1002. Nullae habentur proinde rubricae directivae, uti vocantur, sed omnes sunt praeceptivae; tamen errare humanum est; errores vero, quantum fieri potest, corrigendi sunt. In primis iuvat essentialia ordinationum cognoscere, de quibus breviter agendum per singula.

Caput I

DE ESSENTIA ORDINUM

200 CLERICATUS constat tonsione capillorum et benedictione electi in statum clericalem ⁽¹⁾.

ORDINES MINORES ET SUBDIACONATUS conferuntur traditione instrumenti ordinis, et benedictione electi in ordinem receptum, ut sequitur ⁽²⁾.

⁽¹⁾ Card. Gasparri (op. cit., n. 1014) et Many (op. cit., n. 292) dicunt verba *Dominus pars* etc. a clerico recitanda pertinere ad essentiam clericatus, sed id non probant; contra, materia et forma poni debent ab eodem ministro; nam Ecclesia est quae ordinat et non clericus; proinde dicimus formam consistere in benedictione seu confirmatione electi in statum clericalem; non ita facile tamen determinari potest quatenus quatuor orationibus ritus habenda sit ut essentialis; Durandus vocat 1^{am} *Oremus, fratres carissimi* "praefatio ad clericum faciendum". Andrieu, tome III, p. 336.

⁽²⁾ Diximus ordines inferiores conferri traditione instrumenti proprii ordinis et benedictione electi in ordinem receptum, sed observa:

A) *Quoad traditionem instrumentorum* :

Traditio clavium, uti hodie habetur, est ritus mere symbolicus cum claves ecclesiae de facto non traduntur, ergo saltem pro ostiariatu traditio instrumenti solum *secundum quid* dici potest materia ordinis; praeterea nec semper claves ab episcopo tradebantur, sed ab archidiacono. Canonistae ponunt materiam acolythatus in traditione ceroferarii et ampullae. Ita recentissime Cappello (de sacra Ordinatione, n. 152), qui tamen id supponit, non probat, sicut nec Card. Gasparri vel Many, quos sequitur. Sed contrarium eruitur ex antiquis codicibus, ubi fere semper legitur ceroferarium tradi ab episcopo, ampullae ab archidiacono, sicut hodie fit pro subdiaconis. Cfr., inter alios, Pont. Eccl. Eboracensis, 1502, Surtees So. vol. 61, p. 11. Rarius etiam ceroferarium ab archidiacono tradebatur, et id etiam supponit Angelicus, Suppl. quaest. 38, art. 1, ad 2^{um}. Ita Leofric Pontifical, Surtees vol. 61, p. 310; Pontificale Ecclesiae Mediolanensis, ed. Magistretti, p. 37.

Ex iis enim licet concludere traditionem instrumenti habitam fuisse, ab illis qui ritus construxerunt, ut actionem minus principalem, quae poni poterat ab uno ex assistentibus episcopi. Doctrina postea a scholasticis introducta de necessitate materiae et

Ostiariatus: traditione clavium, vel saltem unius clavis et invocatione *Deum Patrem omnipotentem ordinis*.

Lectoratus: traditione epistolarii et invocatione *Oremus, fratres carissimi*.

Exorcistatus: traditione libri cum exorcismis vel lectionibus, et invocatione *Deum Patrem omnipotentem ordinis*.

Acolythatus: traditione ceroferarii cum cereo et benedictione *Deum Patrem omnipotentem ordinis*. Vide notam 2, p. 94.

Subdiaconatus: traditione calicis et patenae cum invocatione *Oremus Deum ac Dominum nostrum* ⁽¹⁾.

Cum tamen recitatio formulae traditionis instrumenti ordinis proprii ab aliquibus habebatur ut forma ordinationis, in praxi habenda est ut forma.

DIACONATUS ET PRESBYTERATUS, ordines stricte maiores, ex institutione Christi vel saltem Apostolica, constant impositione manuum vel manus et

formae in sacramentis, et quae in rem diiudicatam transivit, traditionem instrumenti ita exaltavit ut ad essentiam ordinum pertinere ediceret; sed hoc longe distat ab illis qui ritus efformavere.

B) *Quoad formam* :

In antiquis pontificalibus formula traditionis instrumentorum non erat forma ordinationis, simpliciter ex eo quod vel aliquando deerat vel instrumenta ab archidiacono dabantur dum episcopus ordinabat; aliis locis formula, quae generatim recitabatur communiter omnibus, erat indefinita, ut forma PR pro traditione calicis subdiaconis. E contra, tota solemnitas dabatur orationibus quibus clerici benedicebantur in ordinem receptum, et quae solebant cani a consecratore in tono praefationis, ad instar ordinum maiorum, sic invocatio *Deum Patrem omnipotentem* vocatur *ordinatio* acolythorum a multis codicibus. Vide Pontificale Ecclesiae Eboracensis, Surtees So. vol. 61. Sanctus Thomas hac de re dicit *acolythus accipit characterem* (lege ordinem) *ex verbis episcopi*. Suppl. quaest. 38, art. 1, ad 2^{um}.

Conclusio est obvia: ordines inferiores constabant essentialiter in oratione Ecclesiae, qua electus confirmabatur in tali ordine; materia erat, ex parte subiecti, voluntas se ecclesiasticis officiis mancipandi; in hoc sensu verba *Dominus pars* quae a neo-clericis dicuntur, dici possunt materia clericatus. Circa Ordines Minores scripsit cl. Andrieu, *Les ordres mineurs dans l'ancien Rit romain, Revue des Sciences religieuses*, 1925, p. 232, quod tamen prae manibus non habuimus. Lege etiam H. R. Philippeau, *Les Ordres mineurs, La Vie spirituelle, supplément*, n. 10, 15 août, 1949, p. 170. Recentissime de ordinatione acolythi scripsit Adriaan Snijders SVD *Sacris Erudiri*, IX, p. 163-198, *Acolythus cum ordinatur* "Praefatio et benedictiones in Gelasiano Veteri desunt... ubertatem orationum et formularum in ordinatione acolythi non quasi de industria sed pedetentim et quasi casu sese evolvisse, praesertim saeculis VII-XII".

⁽¹⁾ Subdiaconatus ordo est minor; in iure actuali habetur uti maior, sed quoad obligationes tantum; quoad compositionem ritus, similis est ordinibus minoribus; quoad officia, deficiente subdiacono, suppleri potest a clericis in minoribus, licet cum quibusdam restrictionibus. D 4181, I, II. Proinde non bene intelligitur cur Many (op. cit. n. 284, 5^o), qui recte ponit subdiaconatum cum ordinibus inferioribus, et dicit orationem *Domine sancte* esse complementum formae, rectius diceret invocationem, doctrinam suam mutet, cum agit de aliis ordinibus inferioribus; dicit enim *verba vero relativa* (traditionis) *constituunt formam sufficientem, etiam independentem ab orationibus antiquissimis quae sequuntur*. O. c. n. 286, 2^o. Vide notam supra.

oratione, seu benedictione electi in ordinem receptum. Benedictiones habentur in PR in forma praefationum, tum pro diaconis tum pro presbyteris. Vide tit. I, c x, n. 76 et 76-A. Quatenam sint verba essentialia praefationis definivit suprema sua auctoritate Pius XII in sua constitutione *Sacramentum Ordinis*.

201**QUOAD MATERIAM ET FORMAM OBSERVA:**

1. Materia et forma poni debent ab eodem ministro ad valorem ordinationis; proinde uti invalida habenda est ordinatio si manus imponuntur ab alio, et non a pontifice ordinante. SO 1-8-1697.

2. Materiam inter et formam adsit unio moralis; non tamen requiritur ut eodem tempore ponantur; sic in ordinationibus maioribus primo imponuntur manus singulis, deinde semel tantum recitatur forma. Proinde uti valida habenda est collatio ordinum minorum si formula traditionis instrumenti recitata fuit semel tantum ante vel post traditionem eius omnibus ordinandis.

3. Tactus instrumentorum in minoribus Ordinibus conferendis et impositio manuum in Ordinibus maioribus debet esse physicus, sed non necessario requiritur ut sit absolute immediatus; sic valet ordinatio si ordinandus habeat manus indutas chirothecis dum tangit instrumenta, vel si instrumenta sint aliquo velo cooperta; vel si ordinandus dum imponuntur manus habeat caput coopertum coma adscititia vel pileolo, vulgo *succhetto*.

Caput II**DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS TEMPORE ORDINATIONUM****202**

Si error vel omissio deprehendatur tempore ordinationum, corrigendus vel supplendus erit quando deprehenditur etiamsi mutetur ordo rituum ordinationis.

Si pars aliqua ritus essentialis omissa fuit, totus ritus erit iterandus, cum partes diversae eiusdem ritus nequeunt separari; sic si episcopus omisit recitationem formae in traditione instrumenti unius minoris Ordinis, debet iterum instrumentum tradere cum forma propria.

Si defectus essentialis deprehendatur incepto offertorio, missa non erit interrumpenda ad defectum sanandum, sed totus ille Ordo erit, statim finita missa, iterandus. Tamen si defectus essentialis in ordinatione presbyteri ante consecrationem deprehendatur, missa interrumpi debet.

Caput III

DE ORDINATIONE ITERANDA

203 Ordinatio invalida est iterum per integrum absolute repetenda. Ordinatio dubia, licet in praxi tantum, est iterum per integrum sub conditione repetenda.

Quilibet episcopus potest ordinationem iterare. SO 17-1-1900; ASS, vol. 32, p. 557.

Iteratio ordinationis, sive absolute sive sub conditione, fieri potest etiam extra tempora. CIC 1007. *Extra tempora* intelligenda est non solum ad normam canonis 1006 § 3, id est, in dominicis vel festis de praecepto, sed etiam intra ferias hebdomadae, ne teneatur ordinatus permanere in statu dubiae ordinationis ad proprium detrimentum et ad scandalum fidelium.

Iteratio ordinationis, praesertim si adsit scandalum, secreto et privatim facienda est.

Si dubitetur utrum Ordinatio maior debeat necne iterari, ad S. C. de Disciplina Sacramentorum recurrendum erit. CIC 249 § 3.

204 PRIMA TONSURA est iteranda si omissa fuit totaliter tonsio capillorum, non vero si quaedam ex quinque tonsionibus fuerit omissa. Si tonsuratus non recitaverit formulam *Dominus pars*, tonsura non erit iteranda, nam episcopus est qui ordinat. Si benedictio omissa fuit, totus ritus erit iterandus.

OSTIARIATUS erit iterandus si omissa fuit traditio saltem unius clavis, vel si omissa fuit invocatio.

LECTORATUS ET EXORCISTATUS erunt iterandi si omissa fuit traditio libri vel invocatio Ordinis proprii.

ACOLYTHATUS erit iterandus si omissa fuit traditio ceroferarii cum cereo, vel invocatio.

Si omissa fuit traditio urceoli valet ordinatio, sed ad cautelam erit totaliter repetenda, cum iuxta nonnullos etiam traditio urceoli pertineat ad essentialia ordinationis; nam sanctus Thomas dicit acolythum ordinari magis in acceptione urceoli (vacui) quam candelabri (cum cereo). Suppl. quaest. 38, art. I, ad 2. Vide notam 2, p. 94.

205 SUBDIACONATUS erit iterandus si omissa fuit traditio calicis et patenae vel invocatio; non tamen si subdiaconus tetigerit patenam tantum et non calicem, vel vice versa, quae traduntur per modum unius. SO 17-1-1897; ASS vol. 29, p. 703.

DIACONATUS erit iterandus absolute si omissa fuit impositio manus episcopi, vel verba essentialia praefationis. Si omissa fuit tantum formula *Accipe Spiritum Sanctum* ⁽¹⁾ haec erit supplenda.

206 PRESBYTERATUS erit iterandus:

A. Ex capite defectus materiae vel formae:

1. Si prima impositio manuum omissa fuit, nulla est ordinatio, et erit absolute iteranda. Si verba essentialia praefationis omissa fuerunt, tota ordinatio erit iteranda.

2. Si omissa fuit physica impositio super quemlibet ordinandum successive, iteranda erit, sed sub conditione, cum certissime non constat impositionem manuum ex institutione Christi debere esse physicam, et Pius XII praecepit ut manus impositio fiat caput tangendo.

3. Idem dicendum si prima impositio facta quidem fuit, sed sine tactu physico. SO 19-8-1851; 4-VII-1900; et pluries. Si tamen tactus fuit physicus, sed caput ordinandi coopertum erat pileolo (succhetto) vel coma adscititia, nihil erit repetendum.

4. Nihil erit iterandum si 2^a impositio facta quidem fuit, sed immediate ante vel post invitorium *Oremus fratres carissimi*, et non *dum* illud recitatur.

5. Impositio manuum nullo modo potest separari a forma seu a praefatione. Nequit proinde suppleri, et si defecerit, tota ordinatio erit iteranda.

207 B. Ex capite defectus traditionis calicis et patenae in hac nova editione omittitur ⁽²⁾.

⁽¹⁾ Scholastici non pauci putabant sacramenta conferri debere cum formulis imperativis, et ita explicatur introductio in saeculo XII formae *Accipe Spiritum Sanctum* quae habetur in ordinationibus maioribus, et quae relationem nullam habet cum ministerio tradendo; nam ante saeculum XII impositio manus, diaconis et episcopis, fiebat sub silentio, sicut servatum est a PR pro presbyteris. Id non valet dicere formulas *Accipe Spiritum Sanctum* nullam significationem habere, quod certe contra Concilium Tridentinum esset (Sess. XXIII, De sacramento ordinis, canon 4); nam revera vult Ecclesia, praeter characterem ordinis, etiam copiosam gratiam Spiritus Sancti ministris suis concedere, iuxta gradum hierarchicum unuscuiusque, ut apti inveniantur fungi sanctissimis suis officiis. Tamen invocatio Spiritus Sancti sufficienter habetur in verbis praefationum.

⁽²⁾ Diximus dubia de valore ordinationis presbyterorum propter defectum tactus calicis exponi debere SCS quia fere omnes responsiones hac in re sunt saeculi elapsi, et hodie doctrina de essentia ordinationis per manuum impositionem evasit communis, et proinde moraliter certa, praesertim post publicationem egregiae dissertationis Cardinalis Van Rossum. Hodie vix erit qui defendat necessitatem hostiae super patenam vel vini in calice ad valorem ordinationis, sed SO in eorum defectu praecepit iterare ordinationem. Quidam etiam SO consultaverunt an iteranda esset ordinatio si omissa

Caput IV

208 DE RITIBUS SUPPLENDIS

Si ordinatio fuit valida absolute et practice, incompleta tamen, ob omissionem ritus qui ex praecepto Ecclesiae poni deberet, ritus omissus erit supplendus, absolute vel sub conditione, prout certo aut dubie omissus fuit; spernenda vero erunt dubia simpliciter negativa.

Ritus suppleri possunt etiam extra tempora, id est, quocumque die, et secreto (CIC 1008), quamprimum, et a quocumque episcopo catholico.

Episcopus qui ritus omissos in ordinationibus maioribus supplere debet, id faciat intra suam missam lectam in suo privato sacello, sine vestibus pontificalibus, utetur tamen mitra dum supplet ritus tantum. SO 27-V-1840; 22-V-1841.

Ad supplendos ritus tonsurae et ordinum minorum episcopus id faciat ante suam missam lectam, vel etiam post missam, dempto manipulo. Independentem a missa episcopus habeat stolam circa collum, et accensae erunt candelae duae super altari.

209 NON SUNT SUPPLENDA:

IN OSTIARIATU: exercitium ordinis.

IN SUBDIACONATU: traditio urceolorum.

IN PRESBYTERATU: unctio manuum, si loco olei puerorum, episcopus usus est sancto chrismate, quod est maius. SO 22-VII-1874, ASS 30, p. 157. Repetenda erit unctio si facta fuit cum oleo infirmorum ⁽¹⁾. Vide partem III, p. 605.

fuit infusio aquae in vino; et alii utrum iteranda esset ordinatio si copia aquae esset nimia ita ut dubium adesset de statu vini. Vermeersch, *Periodica*, 1932, p. 157.

Ante constitutionem SCS dubia de ordinationum validitate dirimebantur a SO. Prae oculis habendae sunt responsiones eius, quae licet semper datae pro casibus particularibus, sunt tamen normae agendi in similibus. Responsiones romanarum congregationum hac de re in unum collegit optimo consilio F.X. Hecht PSM, apud *Periodica de re canonica, morali, liturgica*, 1934, p. 73-111. Vide etiam Bouscaren *Canon Law Digest*, vol. II, p. 240 ss.

P.S. Nota haec obsolevit, tamen variis de causis, curiositatis praesertim, eam non cancellavimus.

(¹) Contrarium censebat cl. Card. Gennari (*Il Monitore eccel.*, t. X, parte II, p. 164); oleum sanctum de quo loquuntur antiqui pontificales non erat oleum infirmorum sed puerorum, quod vocabatur simpliciter oleum sanctum. Contra Many, op. cit. n. 301, 2. Martène, tomus II, p. 23; lib. I, c. 8, art. 9, n. 14.

IN OMNIBUS ORDINIBUS: vocationes, interrogationes, responsiones,
partes scholae, paenitentia.

SUPPLENDI SUNT ceteri ritus omnes ac orationes ex praecepto Ecclesiae ponendi vel dicendae, et *nulla ratione licet eos praeterire*. CIC 1002; proinde supplendae sunt etiam vestitiones, quae positae sunt ad ordinationes complendas; supplenda est traditio epistolarii subdiaconis et evangelistarii diaconis.